

CORPUS THOMISTICUM

Sancti Thomae de Aquino

Super I Epistolam B. Pauli ad Corinthios lectura

a capite XI ad caput XIII versiculum XI

Reportatio Reginaldi de Piperno

Textum Leoninum 1969 praebitum

ac automato translatum a Roberto Busa SJ in taenias magneticas

denuo recognovit Enrique Alarcón atque instruxit

Caput 11

Versiculus 1

[87583] Super I Cor., cap. 11 v. 1 Imitatores mei estote et cetera. Apostolus superius removit Corinthienses ab ydolatRIA, hic inducit eos ad (Ecclesiae) Eucharistiae sacramentum, et circa hoc tria facit: primo excludit indebitum ritum; secundo ostendit dignitatem sacramenti, scilicet Eucharistiae, ibi (XI 23): ego enim accepi a domino etc.; tertio ordinat debitum ritum ipsius sacramenti, ibi (XI 33): itaque, fratres mei, dum convenitis et cetera. Circa primum duo facit: primo enim praemittit quamdam generalem admonitionem; secundo reprehendit eos de inconvenienti ritu in sacramento Eucharistiae, ibi (XI 3): volo autem vos scire et cetera. Circa primum duo facit: primo enim ponit admonitionem, secundo ponit quamdam ironicam commendationem, ibi (XI 2): laudo et cetera. Circa primum sciendum est quod in Ecclesia sunt quidam gradus dignitatis. Nam quidam sunt maiores, ut praelati, quidam vero minores, ut subditi, et utriusque habent quos imitentur, quia minores debent imitari maiores, I Pet. ult.: *non vi dominantes in clericis, sed formam gregis facti* etc.; maiores vero imitantur Christum, Io. XIII: *exemplum enim meum dedi vobis ut quemadmodum* et cetera. Et hoc est quod dicit: *imitatores mei* etc., quasi dicat: sitis sine offensione et ut nullum offendatis, *imitatores mei estote*, qui per omnia omnibus placeo, quaerens quod utile est multis ut salvi fiant. Et in hoc imitator sum Christi qui venit omnes salvare, et ideo dicit: *sicut et ego Christi*, supple: imitator sum. Dicit autem: *sicut et ego Christi*, quia maiores in illis tantum sunt imitandi in quibus ipsi imitantur Christum; unde cum ipsi non imitentur Christum nisi in bonis, non sunt ipsi imitandi in malis quae faciunt aliquando, sed in bonis, supra III: *imitatores*. Et nota quod Paulus imitatus est Christum praecipue quantum ad quatuor: in mentis devotione et intentione, Gal. III: *vivo ego, iam non ego, vivit vero* etc.; in fraternae salutis sollicitudine: Christus enim ad hoc venit ut homines salvos faceret, I Thim. 1: *Christus Iesus venit in mundum peccata* etc., et beatus Paulus inter alios apostolos et praelatos sollicitudinem habuit de salute hominum, Ro. XV: *debemus autem nos firmiores* etc.; in aequanimi usu temporalium rerum item: nam Iohannes Baptista semper ieiunabat, Matth.: *venit Iohannes non manducans neque bibens*, Christus vero non semper sed quando videbatur expedire, unde etiam cum peccatoribus manducabat et propter hoc dicebant Iudaei, Io. XX: *ecce homo verax* etc.; sic et Paulus, secundum quod expediebat salutem credentium, utebatur rebus temporalibus, Phili. IV 12: *scio abundare, scio et penuriam pati*; in corporis passione, II Cor. V: *semper mortificationem domini Iesu in corpore* etc., et ideo specialiter dicebat ipse, Gal. ult.: *ego autem stigmata domini Iesu* et cetera.

Versiculus 2

[87584] Super I Cor., cap. 11 v. 2 Laudo autem et cetera. Hic ponitur ironica commendatio. Sunt autem duo in quibus subditi se debent habere ad praelatos: ut scilicet secundum eorum bonam vitam informantur, Hebr. ult.: *mementote praepositorum vestrorum* etc., et hoc praecipue in quibus sunt ipsi informati a Christo; et ut eorum praecepta servant, I Reg. XV 23: *quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus nolle acquiescere*. Sed Corinthienses in his duobus offenderant, et ideo laudans eos ironice reprehendit eos de istis duobus, scilicet quod non sequuntur vitam suam, et hoc est quod dicit: *laudo vos quod per omnia mei memores (me peiores) estis*, idest in nullo memoriam vitae meae habetis; et iterum quod non servant traditiones suas et praecepta, et hoc est quod dicit: *et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis*, idest non tenetis. Sed contra. In sacra Scriptura nihil debet esse falsum; sed hoc quod dicit apostolus est falsum quia non sunt memores sui nec tenebant praecepta sua; non ergo deberet uti ironica locutione. Respondeo. Dicendum quod in omni figurata locutione, commune est quod sensus non est ille quem primo aspectu verba praetendunt, sed ille quod ille qui loquitur significare intendit, sicut si dicam: pratum ridet, non est sensus huius locutionis quod illud pratum rideat, sed illud quod ego significare intendo, scilicet quod pratum similiter se habet in decore cum floret sicut homo cum ridet. Hoc etiam modo se habet in locutionibus ironicis: cum enim non intendo hoc quod verba praetendunt significare, sed contrarium, ille est verus sensus quem ego intendo, et ideo nihil falsitatis est ibi.

Versiculus 3

[87585] Super I Cor., cap. 11 v. 3 Volo autem vos scire. Hic reprehendit eos de his quae inordinate agebant circa dictum sacramentum. Habebant autem se inordinate in tribus: in dissoluto habitu, in discordi affectu, quia pugnant in Ecclesia, et in immoderato esu, quia pransi veniebant ad Ecclesiam. Et de istis reprehendit eos hic, et primo de primo, secundo de secundo, ibi (XI 17): hoc autem praecipio quod non in melius etc.; tertio de tertio, ibi (XI 20): convenientibus ergo vobis in unum et cetera. Circa primum duo facit: primo praemittit quaedam necessaria ad propositum, secundo prosequitur propositum, ibi (XI 4): omnis autem vir et cetera. Dicit ergo: quia non tenetis praecepta, *volo vos scire* quoddam utile ad sequentia, et hoc quia periculosum est ignorare, infra XIII 38: *omnis ignorabitur*. Triplicem gradum vult eos scire, scilicet quod vir est caput mulieris, viri vero Christus, Christi autem Deus. Circa quod sciendum quod in capite tria considerantur: principatus in corpore, diffusiones in membra et conformitas naturae cum ipsis membris. Unde secundum hoc, aliquis potest dici caput alicuius secundum principatum tantum, sicut (I) Reg. XV 17: *cum esses parvulus in oculis tuis, caput* etc.; aliquando vero secundum diffusionem, sicut illud Eph. III 15: *qui est caput Christus ex quo* et cetera. Sed hic dicitur quodlibet istorum caput secundum ista tria. Vir quidem dicitur caput mulieris quia praesidet, Gen. III 16: *sub viri potestate eris*, quia gubernat, I Pet. III 6: *sicut Sara obediebat Abrahae, dominum eum vocans*, Eph. VI (V 22): *mulieres subditae sint* etc., et quia de eius costa sumpta est, Gen. II 25: *vocavit eam virago quia de viro* et cetera. Christus autem est caput viri, quia praesidet, Eph. II (I 22): *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quae est corpus*, Ps. (71 8): *dominabitur a mari usque ad mare*, quia dona gratiarum effundit, Eph. III 7: *unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*; quia est conformis nostrae naturae, Phil. II 6: *qui cum in forma Dei esset* et cetera. Quod autem dicit quod Deus est caput Christi potest intelligi dupliciter: nam Christus nominat suppositum in duabus naturis, scilicet divina et humana. Si ergo loquatur de Christo secundum naturam divinam tantum, tunc li Deus supponit pro persona patris, et tunc dicitur caput Christi Deus, idest (patris) pater, non quod li caput importet maioritatem, sed originem tantum, Io. XV (XVI 28): *exivi a patre et veni in mundum*. Si vero accipiatur hic li Christus secundum humanam naturam tantum, sic li Deus supponit pro tota Trinitate, et tunc dicitur caput Christi Deus, idest tota Trinitas, quia Christus in quantum est homo est minor patre, et seipso in quantum est verbum, et spiritu sancto, et tota Trinitate. Possumus autem mystice exponere hoc quod dicitur: *caput mulieris vir et caput viri Christus*, ut per mulierem intelligatur sensualitas seu inferiorem intelligamus (partis) partem rationis quae occupatur temporalibus ministrandis; per virum autem superiorem partem rationis quae elevatur divinis et spiritualibus contemplandis. Et sic Christus est caput omnium in quantum per eum dirigimur ad virtuose operandum, et elevamur et adiuvamur ad Deum contemplandum.

Versiculus 4

[87586] Super I Cor., cap. 11 v. 4 Omnis autem vir orans. Hic arguit eos, et circa hoc duo facit: ponit intentum et probat illud, ibi (XI 5): unum est et cetera. Ponit autem duo quae intendit: primum de viro, secundum de muliere, ibi (XI 5): omnis autem mulier et cetera. Circa primum secundum hoc ergo, sciendum est quod, sicut ipse dicit infra, velatio capitis est quasi obumbratio potestatis viri, quia in capite est gloria viri. Cum ergo vir velat caput suum, ostendit subiectionem quae est contra libertatem, quae quidem libertas maxime profitenda coram iudice suo et praecipue quando quis exequitur officium suum. Unde cum vir sit liber quia non est sub potestate mulieris, ideo coram Deo debet profiteri libertatem non velando caput suum, et hoc est quod dicit apostolus: *omnis autem vir orans* et cetera. Est autem vir coram Deo dupliciter: aut per orationem, et sic ea quae sunt populi offert Deo, aut per prophetiam, et sic ea quae sunt Dei insinuat populo. Et ideo dicit: *omnis vir orans*, offerendo quae populi sunt Deo, *aut prophetans* quae sunt Dei insinuando populo, *velato capite*, idest ostendendo se esse non esse liberae mentis, *deturpat caput suum*, idest inconvenienter agit. Sed numquid episcopi inconvenienter orant tenendo mitram? Dicendum quod non, quia mitra est indicium potestatis, velare autem caput est, sicut hic intendit apostolus, obumbrare potestatem.

Versiculus 5

[87587] Super I Cor., cap. 11 v. 5 Omnis autem mulier. Hic prosequitur de muliere et dicit contrarium. Et huius causa est quia mulier naturaliter est subiecta, vir autem praesidens. Unde sicut vir non debet velare caput, ita nec mulier non debet orare aut prophetare capite non velato, Deut. XXIII: *non induetur vir vestes mulieris* etc., et hoc est quod dicit: *omnis autem mulier* et cetera. Sed quid est quod dicit: *aut prophetans*, idest Scripturas reserans, ut dicit Glossa? Nonne apostolus dicit: *mulierem docere in Ecclesia non permitto*? Respondeo. Dicendum quod prophetia aliquando accipitur pro elevatione Scripture et hoc non permittitur mulieri, aliquando pro laude divina cantanda, et hoc permittitur mulieri, sicut Paral.: *prophetare* etc., et de hoc loquitur hic apostolus, et ideo dicit infra XIII: *potestis per singulos prophetare*. Unum est enim ac si decalvetur. Hic probat intentum, et primo per rationes, secundo per consuetudinem, ibi (XI 16): si quis autem videtur contentiosus et cetera. Circa primum tria facit: primo ponit rationes ad intentum, secundo excludit quamdam obiectionem, ibi (XI 11): verumtamen neque vir sine etc., tertio manifestat unam positaram rationum, ibi (XI 13): vos ipsi iudicate. Ad probandum autem intentum, ponit tres rationes: prima sumitur ex naturali inclinatione, secunda sumitur per comparisonem ad Deum, ibi (XI 7): vir quidem non debet etc., tertia per comparisonem ad Angelos, ibi (XI 10): ideo debet mulier. Circa primum duo facit: primo ponit similitudinem, secundo ex similitudine facta arguitur, ibi (XI 6): nam si non et cetera. Circa primum sciendum quod artificialia sunt in supplementum naturalium, et inde est quod vestes additae sunt hominibus, propter defectum corii naturalis quod non sufficit protegere hominem a contrariis, scilicet a frigore et aliis. Sunt quaedam velamina naturalia circa caput, sicut capilli, quaedam artificialia, sicut infulae et huiusmodi, et haec sunt in supplementum naturalium. Sic ergo illa artificialia sunt addenda ad quae inclinat natura; naturaliter autem mulier comam nutrit, ergo naturaliter debet cooperire caput. Et hoc est quod dicit: *unum est* etc., quasi dicat: vere deturpat caput quia unum est, idest tantumdem ac si decalvetur, Is. III: *decalvabit dominus filias Sion*.

Versiculus 6

[87588] Super I Cor., cap. 11 v. 6 Ex hac autem similitudine arguitur cum dicit: *nam si non velatur* et cetera. Et primo ponit conditionalem sic: si mulier non velatur competens est ei quod decalvetur; secundo destruit consequens dicens quod *turpe est mulieri tonderi aut decalvari*; tertio concludit destructionem antecedentis: ergo *velet caput suum*. Sed numquid peccant moniales tondendo se? Dicendum quod non, quia iam sunt exemptae a potestate virorum et positae immediate sub Christo.

Versiculus 7

[87589] Super I Cor., cap. 11 v. 7 Vir quidem non debet velare et cetera. Hic ponit apostolus secundam rationem ad probandum quod intendit, et sumitur ex praecedenti, in qua quidem ratione argumentatur ex hiis quae supra praemiserat quod *caput mulieris est vir, caput viri Christus*. Facit autem tria in ratione ista: primo

enim ponit rationem, secundo probat quaedam in ratione supposita, ibi (XI 8): non est enim vir ex muliere; tertio infert conclusionem, ibi (XI 10): ideo debet mulier et cetera. In ratione autem duo facit: primo praemittit partem propositi, scilicet quod vir non debet velare caput suum, scilicet ad modum mulieris quae totum caput velat sicut antiqui faciebant, et hoc est quia sic non discernentur viri a mulieribus, quod est inconveniens, Deut.: *non induetur mulier veste virili* etc.; secundo rationem assignat dicens: *quoniam imago* etc., ubi tria consideranda sunt: primo quomodo vir ponatur ab apostolo imago Dei tantum et non mulier, secundo qualiter vir fit imago Dei, tertio quid faciat ad propositum hoc quod hic dicit apostolus. Circa primum sic obiicitur contra verbum apostoli: imago Dei attenditur in homine secundum mentem, Eph. III: *renovari spiritu mentis vestrae* etc., et Col. III: *induite novum hominem* etc.; ergo imago Dei in homine accipitur secundum spiritum; cum ergo non sit distinctio inter hominem et mulierem secundum spiritum, videtur quod non tantum vir sit imago et gloria Dei, sed etiam mulier. Respondeo. Dicendum quod hoc exprimitur tripliciter in Glossa. Primo quidem quantum ad dignitatem principii: cum enim imago sit expressa similitudo eius cuius est imago, vir in hoc dicitur imago Dei quod sicut Deus est principium omnium rerum, ita vir est principium totius humani generis, Act. XLIII (XVII 26): *produxit ex uno* et cetera. Secundo quantum ad Christum: sicut enim ex latere Christi in cruce dormientis profluxit sanguis et aqua per quae instituta sunt sacramenta per quae salvatur Ecclesia, ita ex latere viri soporati et dormientis extracta est costa de qua formata est mulier. Tertio quantum ad interiorem imaginem, secundum quam etiam in viro praepollet imago Dei: nam viri sapientiores et fortiores sunt mulieribus, Prov. ult.: *mulierem fortem quis* etc., Eccl. VII: *virum de mille unum reperi* et cetera. Et secundum hoc solvitur obiectio, quia licet vir non differat secundum spiritum a muliere, tamen plus viget in eo ratio, potentia et ratio cognoscendi, secundum quam accipitur ratio imaginis. Et secundum hoc exponitur quod dicit hic: *quoniam imago est* et cetera. Et dicit hic duo: *imago et gloria*. Homo enim ordinatur ad Deum sicut ad causam efficientem, et quantum ad hoc dicit *imago*. Sicut enim dicit Augustinus, imago importat similitudinem; unum tamen non potest dici imago alterius nisi unum sit ab alio, sicut unum omnium non dicitur imago alterius licet sint similia. Unde cum vir sit a Deo immediate, ideo specialiter dicitur imago Dei. Sed notandum quod duplex est imago: perfecta quae consistit in identitate naturae, et secundum hunc modum solus filius dicitur imago Dei, imperfecta quae consistit in diversitate naturae, sicut imago regis est in denario, et hoc modo homo dicitur imago Dei, non autem filius. Et inde est quod homo quandoque dicitur imago, quandoque ad imaginem Dei, Gen. I: *faciamus hominem ad imaginem*; sed filius dicitur imago et non ad imaginem Dei. Ratio huius est quia haec praepositio ad notat distantiam; filius autem est imago patris nulla ex parte dissimilis, et ideo non dicitur ad imaginem. Homo vero licet Deum imitetur in natura intellectuali, tamen multum distat a perfecta imagine, sicut dictum est. Secundum ergo quod imitatur dicitur imago licet imperfecte, et sic accipit hic apostolus, secundum vero quod distat dicitur ad imaginem. Ordinatur etiam homo ad Deum sicut ad causam finalem, non quidem quod hoc cedat in utilitate Dei, quia bonorum nostrorum non indiget, sed in gloriam Dei, Is. XLII: *omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam* etc., et ideo dicit: *gloria Dei*. Et pari ratione mulier est gloria viri. Et nota quod non dicit quod mulier sit imago viri: nam in hoc est mulier gloria viri in quantum ordinatur quod subserviat viro: in hoc enim est gloria hominis quod habeat multos subditos, Prov. XIII: *in multitudinem populi*; non tamen dicitur imago: vir enim dicitur imago Dei quia similis est ei, et etiam hoc ipsum quod sit sibi similis habet a Deo; mulier autem, licet sit similis viro, non tamen hoc habet a viro sed a Deo quod similem viro eam formavit. Quomodo autem hoc sit ad propositum? Sic patet: gloria enim Dei non est occultanda, sed manifestanda ab hiis qui Deo serviunt et facti sunt ad gloriam Dei, Matth. V: *videant opera vestra bona* et cetera. Gloria autem viri occultanda est. Et ideo vir qui est ad gloriam Dei non debet velare caput (Io. VII: *dilexerunt magis gloriam* etc.), idest gloria Dei non debet abscondi quae videtur in viro; mulier vero quae est gloria viri debet velare caput.

Versiculus 8

[87590] Super I Cor., cap. 11 v. 8 Consequenter cum dicit: non enim est vir etc., probat quaedam quae supposuit, scilicet quod mulier est gloria viri, et hoc dupliciter: primo quia mulier est ex viro, et hoc est quod dicit: *non est enim vir*, idest non sumpsit principium ex muliere, *sed mulier*, idest principium mulieris ex viro, I Thim. II: *adeo primus* etc., et est primus tempore et dignitate; secundo quia mulier est facta propter virum, Eccl. XVII: *creavit ex ipso adiutorium*.

Versiculus 9

[87591] Super I Cor., cap. 11 v. 9 Et ideo dicit: *etenim non creatus*, et huius ratio est quia imperfecta semper sumunt originem a perfectis et ordinantur ad perfecta.

Versiculus 10

[87592] Super I Cor., cap. 11 v. 10 Ideo debet et cetera. Hic infert principalem conclusionem, dicens quod propter haec quae dicta sunt, *mulier debet velamen* etc.: nam velamen obumbrans subiunctionem significat potestatem. Propter Angelos. Hic ponitur tertia (ratio) quae sumitur ex comparatione ad Angelos, et hoc exponitur dupliciter. *Propter Angelos*, idest propter sacerdotes: nam sacerdotes dicuntur aliquando Angeli, Mal. II: *labia sacerdotum etc.*, *Angelus enim domini*; et hoc fit propter duo: primo propter eorum reverentiam: sacerdotes enim sunt loco Dei; unde sicut coram Deo homo debet profiteri conditionem suam, ita coram sacerdotibus, Eccl. VII: *sacerdotes etc.*, Is. LXI: *vos autem sacerdotes* et cetera. Unde quia conditio mulieris est ut sit subdita, debet velare caput suum *propter Angelos*. Secundo, propter eorum cautelam, ne incitentur ad peccatum ex aspectu mulieris, Eccl. IX: *virginem ne intuearis* et cetera. Sed quare *propter Angelos* solum? Numquid non aliis malum est videre mulierem? Respondeo: quia sacerdotes sunt magis assidui in Ecclesia, et quia mulieres familiariter sunt cum sacerdotibus cum eis confitentur, et quia de eis esset magis periculum si caderent. Augustinus autem aliter exponit dicens quod vir et mulier accipiuntur hic pro quodam interiori coniugio. In anima enim nostra est quoddam spirituale coniugium, ita ut vir assignetur aliquando ab Augustino pro ipsa ratione, et sensualitas pro muliere. In libro vero de Trinitate, ponit sensualitatem loco serpentis, loco viri rationem superiorem, inferiorem vero loco mulieris. Et sicut mulier regitur per virum, ita sensualitas per rationem, Exo. XXIII: *facit omnia secundum* etc., et ideo dicit quod vir non debet velare caput quia superior ratio non debet cohiberi, sed libere debet se immittere in Deum, et quanto plus se immittit tanto melius. Sed mulier debet velari quia nisi ratio inferior frenetur freno rationis et imperio in usu temporalium, de facili labimur in peccatum. Sed hoc secundum hanc expositionem facit hoc ad propositum, quia illa quae interius sunt debent ostendi per aliqua exteriora. Unde et secundum hoc in anima sunt quae dicuntur, quia *vir est imago Dei*, idest ipsa ratio superior, et non *mulier*, idest sensualitas; et quod mulier est ad gloriam viri, idest sensualitas ad servitium rationis; et quod *vir*, idest ratio non est *ex muliere*, idest ex sensualitate, scilicet quod sensualitate regatur (rationalis) ratio, sed *mulier*, idest sensualitas, est *ex viro*, idest ex ratione. Et huius ratio est quia vir, idest ratio, non est creatus ut serviat mulieri, idest sensualitati. Et ideo mulier debet velare caput suum ad significandum exterius quod sit interius, scilicet quod sensualitas debet subiici rationi. Et hoc *propter Angelos*, ex quo etiam sumitur tertia ratio secundum hanc expositionem. Et sic per Angelos non intelligimus ipsos sacerdotes sed ipsos veros Angelos: cum enim Angeli debeant haberi in reverentia; et hoc maxime exhibetur quando quilibet servat statum suae conditionis, non est dubitatio quod in loco orationis ubi sunt sancti Angeli, mulier debet velare caput in ostensionem suae conditionis: ipsi enim Angeli assunt nobis cum oramus, Ps.: *prevenerunt principes* etc., Ps.: *in conspectu Angelorum* et cetera.

Versiculus 11

[87593] Super I Cor., cap. 11 v. 11 *Verumtamen neque vir* et cetera. Supra apostolus ostendit quod vir non debet velare faciem suam, inducens ad hoc pro ratione quod vir est imago (Dei), non autem mulier. Ne igitur mulieres desperarent de gratia Christi, et ne crederent se propter hoc haberi contemptum a viris, ideo hic apostolus intendit hoc excludere, et circa hoc duo facit: primo docet veritatem dicti, secundo rationem assignat, ibi (XI 12): nam sicut mulier et cetera. Dicit ergo primo: dixi quia vir est imago et gloria Dei, mulier autem non sed viri; verumtamen mulieres non debent desperare de gratia Christi, quia *neque vir sine muliere*, nec e converso *mulier sine viro in domino*, idest in gratia Christi, Gal. I: *quicumque in Christo baptizati estis etc.*, *in Christo enim Iesu* et cetera. Et huius ratio est quia in gratia Christi quae est in Baptismo, non habet plus vir quam mulier propter conditionem sexus. Vel aliter secundum Glossam, ut referatur ad primam conditionem, ut sit sensus: dixi quod vir non est ex muliere sed mulier ex viro, et hoc est in prima conditione et hominis et mulieris; verumtamen post modum, *neque vir est sine muliere* a qua nascatur, *neque mulier sine viro* qui sit

principium generationis suae, et hoc *in domino*, scilicet secundum operationem Dei hoc ordinantis. Et nota hic quadruplicem generationem: prima fuit viri sine muliere, in qua materia fuit terra, artifex fuit Deus solus, Gen. II: *formavit Deus hominem* etc.; secunda fuit mulieris de viro solo, et in hac materia fuit costa, artifex vero Deus, Gen. II: *tulit Deus unam de costis*; tertia vero ex viro et muliere, et in hac materia fuit comixtio sanguinum et operatrix natura, Io. I: *qui non ex sanguinibus* etc.; quarta, de muliere sine viro, et haec Christi, in qua materia fuit corpus virginis, auctor spiritus sanctus, Matth. I: *quod in ea natum est de spiritu sancto est*; et ista est quarta generatio de qua dicitur Gen. XV: *generatione quarta revertetur huc* et cetera.

Versiculus 12

[87594] Super I Cor., cap. 11 v. 12 Consequenter, cum dicit: nam sicut mulier, assignat rationem eius quod dixit, et hoc dupliciter potest exponi secundum duplicem expositionem superioris dicti, quia si exponatur quantum ad primam expositionem, sic refertur ad generationem spiritualem quae est per gratiam, et est sensus: sicut mulier per virum sanctificata est, ita et vir per mulierem, supra VII 14: *sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem*. Si vero exponatur quantum ad secundam, sic refertur ad generationem carnalem et est sensus: nam sicut mulier est (a) viro in creatione, ita ex consequenti et in (processe) processu generationis vir est per mulierem, ex qua scilicet nascitur; et haec omnia a Deo, quia principium utriusque, scilicet mulieris et viri, est a Deo, vel sanctificatio utriusque similiter ex Deo est, Ro. XI: *ex ipso, in ipso et per ipsum* et cetera.

Versiculus 13

[87595] Super I Cor., cap. 11 v. 13 Vos ipsi iudicate et cetera. Hic apostolus quod in una positarum rationum implicite et obscure dixerat manifestat, hoc scilicet quod dixit: *unum est ac si decalvetur*, et circa hoc duo facit: primo enim auditoris iudicium invocat, secundo interrogat, ibi: decet mulierem, tertio argumentatur, ibi (XI 14): nec ipsa natura et cetera. Committit autem auditoris iudicio ut ostendat securitatem et idoneitatem sententiae: consuetum est enim quando quis confidit de veritate quod committit sententiam suam auditoribus, secundum illud Iob: *quod iustum est iudicate, et non invenietis* et cetera. Et ideo dicit apostolus: *vos ipsi iudicate*, quasi dicat: ita est idoneum quod dico quod illud iudicio vestro committo; et dicit: *vos ipsi*, quia quilibet bonus auditor debet aliquo modo scire quae audit, aliter non posset diiudicare, et ideo omnis communicatio debet incipere ab hiis quae sunt magis nota, Iob: *nonne auris verba diiudicat* et cetera. Interrogat vero ut magis eos excitet: *decetne mulierem non velatam orare Deum?*, Et dicit specialiter *orare Deum*, quia maxima reverentia exhibenda est in oratione et honestas, Ecc. 4: *custodi pedem tuum*, Ecc. 18: *ante orationem praepara* et cetera.

Versiculus 14

[87596] Super I Cor., cap. 11 v. 14 Argumentatur autem ut fortius convincat: *nec ipsa natura* etc., in quo duo facit: primo ponit illud unde sumit argumentum, quia a naturali inclinatione humana, et hoc est quod dicit: *nec ipsa natura*, scilicet humana, *docet*, scilicet quod mulieres sint velatae, et natura est quasi quaedam lex, Rom. II: *cum enim gentes quae legem non habent* et cetera. Secundo argumentatur et primo quantum ad virum et ideo dicit: *quia vir si comam nutriat* etc.; et ratio potest esse talis: illud quod est alicui naturaliter vituperabile non est faciendum, sed *si vir nutriat comam ignominia est illi*; coma autem significat velamen capitis; ergo vir non debet velare caput. Glossa enim exponit hoc de lege: dicit quod est ignominia secundum legem quod quis nutriat comam, sed non habetur expressum quod in lege quod praecipitur alicui tonderi caput nisi de Nazarenis quorum coma debebat offerri domino. Sed nec est etiam secundum sententiam apostoli, quod (quia) hic non arguitur ex lege, sed a natura. Praeterea videmus quod multi nutriunt comam, etiam de Nazarenis, sicut Samson, et ideo dicendum est quod hic loquitur apostolus secundum quod natura inclinatur, quae etiam videtur habere quamdam vim legis; et sic *si nutriat comam vir, ignominia est ei*, idest vituperabile secundum opinionem hominum, licet aliqui propter humilitatem vel propter mysterium nutriunt comam. Secundo arguitur quantum ad mulierem, et primo arguitur, secundo assignat causam, ibi: capilli et cetera. Ratio sua talis est: illud quod naturaliter est laudabile et gloriosum alicui, debet ab eo fieri; sed mulieri est laudabile et gloria nutrire comam: haec autem significat velamen capitis; ergo mulier naturaliter debet velare caput.

Versiculus 15

[87597] Super I Cor., cap. 11 v. 15 Huius autem rationis ponit medium tantum cum dicit: *mulier si comam nutriat, gloria est illi*; et est ei gloria et quantum ad Deum et quantum ad seipsam, quia est signum verecundiae et subiectionis, Ecc. XXIII: *gratia super gratiam mulier sancta et pudorata*. Et subiungit causam: quoniam capilli et cetera. Contra: (non) nonne et viri habent capillos? Respondeo. Dicendum est quod loquitur hic secundum communem consuetudinem, quia mulieres comam nutriunt, licet non in quibusdam terris, sed cum etiam in illis terris maiorem habent quam viri. Ista autem sic communis consuetudo apud mulieres non esset nisi natura inclinaret, et ideo pro velamine data sunt ei, scilicet mulieri, quia natura inclinatur ad hoc.

Versiculus 16

[87598] Super I Cor., cap. 11 v. 16 Si quis autem videtur contentiosus et cetera. Hic probat per consuetudinem quod probavit per rationes, et ratio huius est quia illae rationes possent alicui videri non multum efficaces cum sint mysticae et figuratae. Unde ne aliquis contentiose resisteret, intendit alia via convincere eum. Et circa hoc duo facit: primo convincit eum per communem consuetudinem Ecclesiae, secundo per auctoritatem praecepti sui, ibi (XI 17): hoc autem praeceptum. Dicit ergo: habetis, o Corinthii, per rationes quod mulier debet velare caput, sed *si quis videtur contentiosus esse*, idest clamorosus impugnator: nam *contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris* et ideo fugienda est, Prov. 20: *honor est homini qui separat*; II Thim. II: *servum Dei non oportet etc.*; si quis, dico, resistat rationibus contentiose, non poterit resistere consuetudini, quia nos, scilicet apostoli et Iudaei (quia ex Iudaeis sumus), *talem consuetudinem*, idest quod mulieres non velentur, *non habemus, neque etiam Ecclesia Dei*, quia neque secundum legem Moysi et secundum Christum est ut vir velet caput et non mulier. Et sciendum ex hoc quod, sicut dicit Augustinus, *mos populi Dei pro auctoritate habetur*, et propter hoc quilibet debet in his quae non sunt per se mala neque prohibita conformare se moribus gentis. Et ideo Ambrosius dixit Augustino: *serva consuetudines Ecclesiarum ad quas ibis, in his tamen quae non sunt contra Deum*.

Versiculus 17

[87599] Super I Cor., cap. 11 v. 17 Sed quia malum est quod aliquis sit singularis in factis suis, ideo quando nolunt acquiescere rationibus, non sequi consuetudines, sunt huiusmodi reprimendi auctoritate praecepti superioris, et hoc facit apostolus cum dicit: *hoc autem praeceptum*, quasi dicat: ut inducat ratio et consuetudo Ecclesiae Dei, et nostra sit quod viri non velent caput sed mulieres; nihilominus tamen ego sic praeceptum observari. Et utitur hic auctoritate praecepti, ut penitus obtemperent: nam praecepto maioris obediendum est, Hebr. II: *obedite praepositis* et cetera. Non laudans quod non in melius et cetera. Superius apostolus reprehendit in Corinthiis inordinatum habitum, hic vero reprehendit in eis alia duo, scilicet dissensiones et inordinatum esum. Et circa hoc duo facit: primo enim redarguit eos de illis duobus in generali, secundo vero explicat hoc in speciali, ibi (XI 18): primum quidem convenientibus et cetera. Dicit ergo primo: haec, quae de velamine capitis dicta sunt, *praeceptum, non laudans vos sed improbens quod non in melius se in deterius convenitis*, scilicet ad Ecclesiam, idest non convenitis ut meliores sed ut deteriores efficiamini, Ps.: *convenerunt adversus dominum*. Et huius ratio erat quia ad duo inordinata conveniebant, scilicet ad dissensiones et quia pransi et refecti.

Versiculus 18

[87600] Super I Cor., cap. 11 v. 18 Consequenter quod dicit in generali exponit in speciali, et hoc est quod dicit: primum quidem etc., et circa hoc duo facit: primo ponit accusationem factam sibi de huiusmodi inordinationes, secundo asserit se fidem adhibuisse accusationi sibi factae, ibi: et ex parte credo. Accusatio erat quod cum venerant in Ecclesia, erant inter eos dissensiones, et ideo dicit: *primum*, scilicet quod in deterius et non in melius convenitis, est quia *convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras* etc., et hoc est valde detestabile quod convenient corpore, et mente dissentiant, cum conventio corporum non fiat nisi propter unitatem mentium. Contra quod dicitur Eccli. 25: *in tribus beneplacitum est etc.*, *concordia fratrum* etc.; supra I: *non sint in vobis*

schismata. Et nota secundum Glossam quod ideo dicit *primum* ut ostendat quod dissensio est primum malum ex quo omnia alia oriuntur. Sed contra: Ecc. X: *initium omnis peccati superbia*. Respondeo. Dicendum quod in diversis et secundum diversos respectus possunt esse diversa principia malorum; et inde est quod alicubi dicitur: *radix omnium malorum cupiditas* I Tim. V (VI 10), alicubi: *infandorum idolorum cultura* et cetera. Sap. XIII 27, et etiam de superbia: Ecc. X. Et huius ratio est quia de uno peccato possunt alia omnia oriri. Sicut in eo quod propter divitias superbit, ex cupiditate et avaritia oritur superbia; in eo quod ut superbiat quaerit divitias, ex superbia nascitur avaritia; et hoc modo est etiam hic, quia ex contentione multa mala oriuntur, Iac. III: *ubi zelus et contentio* et cetera.

Versiculus 19

[87601] Super I Cor., cap. 11 v. 19 Ex parte credo. Hic ponitur fides adhibita accusationi, quia *ex parte credo*, idest de aliquibus credo quod dissident, et causam huius assignat: *nam oportet haereses esse*, idest utile est. Et circa hoc quaerenda sunt duo, scilicet quod sit haeresis et quomodo oporteat haereses esse. Quantum ad primum, sciendum est quod haeresis divisionem sonat et sectam; divisio autem opponitur unitati; prima vero unio inter fideles est unio fidei; illi igitur sunt simpliciter divisi qui non conveniunt in sententia Ecclesiae; et ideo illi proprie dicuntur haeretici qui dissident a communionem Ecclesiae quantum ad sententiam fidei. Sed attendendum quod ad sententiam fidei quaedam pertinent directe, quaedam indirecte; directe quidem sunt articuli fidei, indirecte vero seu per accidens quibus positus sequeretur contrarium sacrae Scripturae: sicut si aliquis diceret quod Isaac non est filius Abrahae, non directe diceret contra fidem sed per accidens, in quantum esset contra sacram Scripturam quae dicit hoc. Quicumque ergo in istis duobus discordaret a veritate fidei, habet quidem materiam haeresis, sed nondum est haereticus dicendus nisi pertinaciter suam + errorem defenderet, et tunc est iudicandus haereticus, sed tamen ab illo qui habet iudicare et definire de fide, scilicet a summo pontifice. Hoc autem quod homo sit singularis in sensu suo provenit ex superbia, et ideo apostolus dicit, Rom. XII: *nolite esse prudentes*, Ecc. X: *ne innitaris sensu tuo* et cetera. Et ideo in Glossa definitur sic haeresis: *haereticus est qui alicuius temporalis commodi et maxime gloriae principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur*, quia sive ipse adinveniat, sive alios sequitur in his quae sunt contra fidem, si pertinaciter persistat haereticus est. Quantum ad secundum vero, sciendum est quod illud dicitur opportunum ex quo utilitas aliqua provenit vel per se vel per accidens; per se quidem quando de eo quod bona intentione fit aliquid bonum provenit, per accidens vero quando de eo quod mala intentione fit ab agente provenit aliquid bonum in patiente, sicut ex persecutione tyrannorum secutum est bonum patientiae in martyribus. Bona ergo oportet fieri, idest utile est quod fiant ut accipiatur opportunum per se; sed quia Deus, ut dicit Augustinus, est adeo bonus ut non sineret fieri aliquid malum nisi ex illo eliceret aliquid bonum, ideo per accidens potest dici opportunum esse quod mala fiant; non quin per se sint mala et peccent qui operantur malum, sed in quantum sequitur aliqua utilitas in aliis qui hoc vel patienter sustinent vel ex hoc in Dei amore firmantur. Et hoc modo dicit apostolus quia *oportet*, idest utile est, *haereses esse*, non quod ex intentione haeticorum sed Dei, et hoc quantum ad utilitatem duplicem. Una est quia sancti doctores ex hoc sunt magis exercitati ad veritatem fidei elucidandam, et eorum ingenia magis subtiliata, Prov. XXVI: *ferrum ferro acuitur*; et ideo post haereses sancti inveniuntur cautius locuti de his quae pertinent ad fidem, sicut Augustinus post Pelagianos de gratia, et Leo Papa post Nestorium et Eutychem de incarnatione. Alia utilitas, quia ex hoc fuit manifestata constantia fidei in his qui perstiterunt contra haereses, et hanc rationem assignat apostolus cum subdit: *ut qui probati sunt*, scilicet a Deo, *in vobis*, idest inter vos, *manifesti fiant*, idest manifestentur etiam hominibus, Sap. III: *sicut aurum in fornace*, I Pet. II: *in vobis erunt* et cetera.

Versiculus 20

[87602] Super I Cor., cap. 11 v. 20 Convenientibus vobis. Hic reprehendit eos apostolus de tertio vitio, scilicet de inordinato esu in sacramento Eucharistiae. Ad intellectum autem huius litterae, intelligendum est quod hoc habet duas expositiones. Una est quod quando debebat celebrari Missa, isti Corinthii conveniebant ad Ecclesiam et antequam diceretur Missa comedebant et tunc dicebant Missam, qua dicta sumebant corpus Christi. Alia expositio est quod isti quando conveniebant, portabant oblationes, scilicet panes, in magna quantitate et

offerebant eos ad sacrificandum, et post erant sacrificati, tunc quilibet accipiebat illud quod obtulerat de altari, et non dividebantur inter omnes sed quilibet vel portabat domi vel seorsum cum suis cenabat in Ecclesia, et inde erat inter eos scissura. Et propter hoc apostolus de his hic reprehendit eos dicens: *convenientibus etiam vobis* et cetera. Et circa hoc duo facit: primo exaggerat culpam in generali, secundo exponit in particulari, ibi (XI 21): *unusquisque* et cetera. Potest autem hoc quod dicit *convenientibus in unum* etc., exponi dupliciter: vel referendo hoc ad praemissa et sic exponit Glossa, vel ad sequentia; et quocumque modo hoc exponatur, ex secundo vitio, scilicet ex scissura, oritur istud tertium. Si autem referatur ad praecedentia, sic exponitur dupliciter. Primo sic: ergo quia in vobis sunt scissurae, *convenientibus vobis in unum, iam*, idest ex hoc solo, non estis digni *manducare dominicam coenam*, quia ad hoc exigitur maxima unitas mentium; secundo vero sic: *iam*, idest in praesenti, hoc damnum habetis quod *non est*, idest non licet vobis, *manducare dominicam coenam*, et in futura peius erit vobis. Sed melius est quod referatur ad sequentia, et hoc modo potest etiam dupliciter exponi. Uno modo sic: quia pransi estis antequam sumatis corpus Christi, *iam non est dominicam coenam manducare*, idest non restat locus coenae dominicae: nam facta coena, non est iterum coenandum. Causa autem quare isti Corinthii post coenam sumebant corpus Christi potest videri haec: Christus consecravit panes iam facta coena cum discipulis; sed hoc fecit Christus ex speciali causa, et hoc propter tres rationes. Prima ratio est ut ostendat hoc sacramentum figuratum fuisse per agnum paschalem, et ideo post comestionem agni paschalis consecravit panem: primo enim est figura et postea veritas. Secunda ratio est quia hoc sacramentum est memoriale passionis, et ideo ante passionem immediate hoc sacramentum instituit, et inde est quod statim dixit: *surgite eamus hinc*. Tertia ratio est quia Christus voluit hoc sacramentum imprimi in cordibus discipulorum, et ideo ultimo instituit: ea enim quae ultimo fiunt magis imprimuntur. Apostoli vero post passionem Christi instituerunt quod sacramentum illud a ieiunis conficeretur, et hoc propter reverentiam sacramenti. Et inde est quod post potum aquae vel vini, vel cibum, nullus debet sumere corpus Christi. Sed si aliquis non dormiret de nocte, vel coenaret post mediam noctem, vel etiam esset indigestus, numquid potest de mane sumere corpus Christi? Respondeo. Dicendum quod somnus vel indigestio non faciunt quantum ad substantiam sacramenti, sed quantum ad quandam congruentiam; sed quia statutum est ut ieiuno stomacho accipiatur, et dies apud Romanos incipiat a media nocte, ideo nullus si coenat post mediam noctem vel aliquid sumat post, nec debet recipere eodem die corpus Christi. Alio modo exponitur *iam non est dominicam coenam manducare*: dominica enim coena est coena communis, coena autem uniuscuiusque est coena specialis; quia igitur isti ea quae offerebant accipiebant et comedebant, vel seorsum in Ecclesia cum suis, vel portabant domi, ideo dicit: *iam non est dominicam coenam manducare*, idest iam coena illa non est dominica, idest communis, sed specialis.

Versiculus 21

[87603] Super I Cor., cap. 11 v. 21 Unusquisque enim et cetera. Hic exponit vitia in particulari, et circa hoc tria facit: primo exponit factum, secundo infert inconueniens quod ex hoc sequitur, et tertio improbat; secundum ibi: et alius quidem esurit, tertium ibi (XI 22): numquid non habetis. Potest autem hoc quod dicit *unusquisque* etc., exponi dupliciter secundum duas expositiones superioris dicti. Secundum primam, sic: dixi quod iam non relinquitur opportunitas comedendi dominicam coenam, *enim*, idest quia, *unusquisque praesumit coenam suam ad manducandum*, idest ante coenavit, Osee IV: *separatum est convivium* etc., Eccli. XI: *haec est pars mercedis* et cetera. Sed secundum secundam expositionem, exponitur hoc sic: iam non est dominicam, idest communem, coenam manducare, quia *unusquisque praesumit suam coenam ad manducandum*, idest unusquisque manducat illam coenam seorsum cum suis non dividendo inter alios, ac si esset sua et non domini. Et alius quidem esurit. Hic subdit inconueniens quod sequitur, quia *alius quidem esurit* etc., cuius ratio est quia illi qui divites erant portabant multa, pauperes vero vel nihil vel parum; unde quia divites non dividebant dum ipsi medebantur, et pauperes esuriebant, Iob XXXI: *si comedi buccellam solus* etc., Is. XLIX: *frange esurienti* et cetera. Sed ex hoc surgit questio, utrum scilicet de corpore et sanguine Christi consecratis posset aliquis nutriri vel inebriari. Quidam dicunt quod ex sanguine Christi posset aliquis inebriari eodem modo quod multi inebriantur ex odore vini. In sacramento enim, licet non maneat substantia panis et vini sed transsubstantietur in corpore et sanguine Christi, remanent tamen accidentia. Sed tamen dicunt quod ex hoc nullus posset nutriri quia accidentia non nutriunt. Sed hoc est falsum: nutrimentum enim fit (per) conversionem cibi in carnem et sanguinem; constat autem quod species illae quae remanent in sacramento si comburantur, convertuntur in cineres vel etiam

putrescunt, et eodem modo si comedantur possint converti in carnem et sanguinem hominis, et ideo dicendum est quod nutriunt. Qualiter autem hoc fiat, duplex opinio est. Quidam enim dicunt quod redibat substantia panis et vini et nutriebat, et haec fuit opinio Innocentii; sed haec videtur impossibilis, quia si redit substantia panis et vini, aut hoc erit manentibus accidentibus, aut non manentibus: si primo modo, hoc non potest esse quia quamdiu manent illa accidentia tamdiu est ibi corpus Christi, et sic essent simul substantia panis et corpus (Christi), quod est erroneum; sed secundo modo hoc etiam non potest esse, quia substantia panis non potest esse sine speciebus. Et ideo aliter dicendum quod cuicumque conceditur aliquod principale, conceduntur etiam et accessoria ad illud; cum ergo illa accidentia habeant ex virtute Dei quod subsistant, conceditur etiam eis ex virtute Dei quidquid substantia panis efficere solet, scilicet nutrire et alia huiusmodi. Et ideo et de pane et de vino consecrato, si sumantur in magna quantitate, posset homo nutriri et vivere diu.

Versiculus 22

[87604] Super I Cor., cap. 11 v. 22 Numquid non habetis et cetera. Hic improbat factum quod exposito inconvenienti sequitur, et improbat dupliciter: primo per rationes, secundo per auctoritatem, ibi: quid dicam et cetera. Rationes autem quibus improbat ponit tres. Prima sumitur ex congruitate et est talis: in illis locis non debet fieri nisi id ad quod deputata sunt loca illa; sed ad convivia deputatae sunt domus communes omnium, quia quilibet facit convivium in domo sua, non autem (in) Ecclesia; ergo in domo propria quilibet debet convivia facere, non in Ecclesia. Et hoc est quod dicit: *numquid domos* etc., quasi dicat: numquid non habetis domos vestras in quibus manducetis et bibatis? Non haec finiat in Ecclesia, II Mach. VI 4: *templum Dei luxuria et comessionibus*. Secunda ratio sumitur ex dignitate loci et est talis: quae inordinate fiunt in aliquo loco videntur locum illum contemnere; sed facere convivia in Ecclesia est inordinatum; cum ergo Ecclesia non sit contemnenda, non debent convivia in ea fieri, et hoc est quod dicit: *aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et nota quod *Ecclesia Dei* dicitur dupliciter: uno modo ipsa congregatio fidelium, et ista non est contemnenda, alio modo ipsa domus in qua conveniunt fideles ad orationem, nec ista est contemnenda, Ier. VII: *numquid spelunca latronum* et cetera. Tertia ratio sumitur ex parte pauperum, et hoc est quod dicit: *et confunditis eos qui non habent* etc., dum scilicet pauperes ex eorum affluentia erubescunt, vel dum nihil dabant eis, Eccli. IV: *animam esurientem* etc., Prov. (XVII 5): *qui despicit pauperem* et cetera. Consequenter improbat idem per auctoritatem suam, dicens: *quid dicam*, idest cum hoc facitis; *laudo vos* etc., et hoc potest dupliciter legi: uno modo interrogative, ut si hoc ponatur ex parte subiecti sic: *laudo vos in hoc? Non laudo*, quia periculosum est et malum laudare de malo, Is. III 12: *popule meus, qui beatum* etc.; alio modo remissive, et sic si hoc ponitur ex parte praedicati, sic: *laudo vos*, supple in multis aliis, sed in hoc quod inordinate facitis *non laudo vos*.

Versiculus 23

[87605] Super I Cor., cap. 11 v. 23 Ego enim quod accepi a domino et cetera. Hic ostendit dignitatem sacramenti Eucharistiae, et circa hoc duo facit: primo enim praemittit auctoritatem doctrinae, secundo ponit ipsam doctrinam quantum ad dignitatem sacramenti: quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur etc., tertio quantum ad usum ibi (XI 26): quotiescumque enim et cetera. Sed auctoritas doctrinae sacrae magna est, quia non ex meo sensu hoc quod trado vobis, sed illud *tradidi vobis quod accepi a domino*, Gal. II: *non enim ab homine accepi* etc., Hebr. II: *quae cum initium accepisset et cetera. Tradidi vobis*, sicut bonus minister qui dispensat bona domini sui, Math. X: *gratis accepistis, gratis* etc., Is. XXXI: *quae audivi a domino* et cetera. Institutio vero ordinata: quoniam dominus etc., et circa hoc tria ponuntur: auctor institutio, tempus et modus: in auctore vero, dignitatem, quia ipse Christus, et ideo dicit: *quoniam dominus noster Iesus Christus* etc., et ideo cum magna reverentia est tractandum illud sacramentum, quia ipse dominus, Io. VI: *caro quam ego dabo* etc.; in tempore, pietatem, quia tempore passionis institutum est; *in qua*, inquit, *nocte tradebatur* etc., Io.: *erat enim nox*, et ideo cum maiori caritate tractandum, Lc. XXXIII: *desiderio desideravi hoc Pascha* etc., *patiar* etc.; in modo, perfectionem, quia *accepit panem* etc., et hic duo facit: primo ponit modum quantum ad sacramentum corporis, secundo modum quantum ad consecrationem sanguinis, ibi (XI 25): *similiter et calicem* et cetera. Circa primum duo facit: primo ostendit quod Christus fecerit in consecrationem corporis, secundo quod dixit: *et dixit: accipite* et cetera. Sed fecit tria: accepit panes, gratias egit et fregit. Sciendum est autem circa hoc quod multa ponuntur in

Glossa quae non oportet quod hic ponantur cum non sint multum necessaria. Et ideo aliis omissis, primo inquiremus rationem institutionis huius sacramenti. Circa quod sciendum est quod, sicut Dionysius dicit, spiritualia traduntur nobis sub similitudine corporalium, et ideo remedia spiritualis vitae secundum similitudinem corporalium distinguuntur. Invenimus autem in vita corporali triplicem profectum: primo quidem generationem seu nativitatem qua res vivens accepit esse, secundo vero augmentum quo ad robur et debitam quantitatem perducitur, tertio nutrimentum quo conservatur in esse; et haec tria per se (sunt) necessaria quia sine his vita corporalis perfici non potest, sed sanatio necessaria est per accidens. Sic ergo in vita spirituali: primum est spiritualis generatio quae fit per Baptismum, secundum, spirituale augmentum perducens ad robur perfectum quod fit per sacramentum confirmationis, tertium est spirituale nutrimentum quod fit per Eucharistiae sacramentum. In generatione autem corporali, generans non unitur generato secundum substantiam sed secundum virtutem, nutrimentum autem unitur nutrito secundum substantiam. Unde et in Baptismo quod est spiritualis regeneratio non continetur ipse Christus sed virtus eius, in Eucharistia autem quae est spirituale nutrimentum continetur ipse Christus. Proponitur tamen sub alia specie propter tria: primo quidem ad vitandum horrorem: horridum enim esset carnes humanas (mendicare) manducare, secundo ad vitandam irrisionem fidelium, tertio propter meritum fidei ut ei humana ratio experimentum non praebeat. Sub duplici etiam specie proponitur propter tria: primo quidem quia spiritualis refectio tradi debet sub similitudine corporalis refectionis quae consistit in cibo et potu, secundo quia hoc sacramentum repraesentativum est dominicae passionis per quam sanguis Christi effusus separatus fuit a corpore, tertio propter effectum sacramenti: valet enim ad salutem corporis, quod significatur per corpus Christi sub specie panis propositum, et ad salutem animae, quod significatur per sanguinem Christi sub specie vini (propositi) propositum: nam anima in sanguine esse perhibetur Gen. IX. Ideo autem sub specie panis et vini, primo quidem quia hoc competit corporali refectio quae communius fit per panem et vinum; unde non assumitur aliquis alius panis nisi triticeus, nec aliquis potus nisi vinum de vite, quia haec sunt principalia, alia vero per defectum horum sunt adinventata; secundo quia haec consonant virtuti corporis et sanguinis Christi in quantum panis confirmat et vinum laetificat cor hominis; tertio quia per hoc repraesentatur unitas corporis mystici: sicut enim ex multis granis conficitur unus panis, et ex multis racemis effluit unum vinum, ita ex multis fidelibus constituitur una Ecclesia quae est mysticum corpus Christi. Dicit ergo: *accepit*, ut significaret quod virtus qua hoc sacramentum instituebat erat ei a patre, secundum illud Math. XI: *omnia tradita sunt a patre meo*.

Versiculus 24

[87606] Super I Cor., cap. 11 v. 24 Et quia ab alio accepit, sequitur: gratias agens, secundum illud I Thess. V: *in omnibus gratias agite; quid enim habes quod non accepisti*, I Cor. IV. Sequitur: fregit, ubi quaeritur utrum fregerit panem consecratum vel non consecratum: si (vero) non consecratum, hoc videtur esse contra ritum Ecclesiae quae panem consecratum frangit; si autem consecratum, hoc non videtur quia postea verba consecrationis videtur protulisse; nam consequenter subditur: *et dixit: accipite* et cetera. Dicendum est autem quod panem consecratum fregit. Sed quidam dixerunt quod prius consecravit per alia verba, vel quod eadem verba prius protulit occulte ad consecrandum, postmodum vero in manifesto ad docendum. Sed melius est ut dicatur quod hoc quod sequitur: *et dixit*, non est accipiendum per consequentiam facti sed per comitantiam, quia simul dum acciperet et gratias ageret, verba consecrationis protulit et postea fregit. Consequenter cum dicit: *accipite et manducate* etc., ponit verba quae Christus dixit, in quibus primo iniungit usum sacramenti, secundo manifestat veritatem sacramenti cum dicit: *hoc est corpus meum*, tertio exponit mysterium cum subdit: *quod pro vobis tradetur*. Dicit ergo: *accipite*, quasi non ex vobis sed ex me habentes hoc beneficium, Sap. XVI: *Angelorum esca nutritivisti populum tuum*; et ad quem usum accipiant subdit: *et manducate*, Io. VI: *nisi manducaveritis carnem* et cetera. Sequitur de veritate huius sacramenti cum dicit: *hoc est corpus meum*, ubi duo sunt consideranda: primo qualiter sit ibi corpus Christi, secundo quomodo haec locutio sit vera. Circa primum, reiecta opinione haeretica quae posuit corpus Christi non esse ibi secundum veritatem substantiae sed solum secundum significationem figurae, tres fuerunt olim opiniones. Prima fuit dicentium quod simul cum substantia panis, est ibi substantia corporis Christi, sed secundum hoc non esset hoc verum: *hoc est corpus meum*, quia haec dictio *hoc* demonstrat contentum sub accidentibus sensibilibus, quod esset substantia panis si ibi remaneret et ibi non est corpus Christi, et secundum hoc verius diceretur: *hic est corpus meum*. Alii vero dixerunt quod

substantia panis ibi non remanet nec tamen convertitur in corpus Christi, sed vel adnihilatur vel resolvitur in praeiacentem materiam. Sed hoc etiam stare non potest, quia corpus Christi ante consecrationem non erat in hoc altari, est autem ibi post consecrationem; nullum autem corpus est ubi prius non fuit nisi vel per motum localem, sicut cum ignis accensus introducit in domum, vel per conversionem alterius in ipsum, sicut cum ignis de novo in domo accenditur; non potest autem dici quod corpus Christi per motum suum localem incipiat esse in hoc altari, cum in caelo quietum remaneat; et iterum motus localis non potest ad plura loca simul terminari. Relinquitur ergo quod secundum tertiam opinionem, panis in corpus Christi convertatur. Sed sciendum quod alius modus est huius conversionis a conversionibus naturalibus. Natura enim, quia non agit (nisi) ex praesuppositione materiae, non potest convertere unum in aliud nisi secundum formam tam substantialem quam accidentalem; sed cum individuationis principium sit materia, non potest natura facere quod hoc individuum convertatur in illud individuum, quia eius potentia non se extendit ad materiam. Divina autem virtus se extendit non solum ad formam sed etiam ad materiam, et ideo potest non solum secundum formam convertere hoc in aliud, sed etiam secundum materiam ut totum hoc individuum convertatur in illud individuum; et hoc modo tota substantia huius panis convertitur in totam substantiam corporis Christi. Et ideo conversiones naturales dicuntur formales, ista autem conversio dicitur substantialis vel transsubstantiatio. Et accidit contrarium eius quod accidit in conversionibus naturalibus: ibi enim manet subiectum et mutatur formam, hic vero manet forma accidentalis ad occultationem sacramenti et fit conversio in substantiam. Sed tunc remanet quaestio de fractione quod in pane consecrato frangatur. Dixerunt autem quidam quod non est ibi fractio vera sed apparens tantum: quod non potest esse quia in sacramento veritatis non debet esse aliqua fictio; unde quicquid ibi sensus deprehendit quasi per se sensibile, ut color et sapor et huiusmodi, vere est ibi; substantia vero est sensibilis per accidens. Alii vero dixerunt quod fractio est ibi, sed non in subiecto. Sed hoc etiam falsum est: omnia enim alia accidentia sensus ibi esse deprehendit in aliquo quanto; unde solae dimensiones sunt ibi sine subiecto; non autem potest dici quod ipsa substantia corporis Christi sit fractionis subiectum propter eius impassibilitatem; unde relinquitur quod subiectum fractionis sint ipsae species, et hoc est quod apostolus dixit supra X: *panis autem frangimus* et cetera. Sic cum species panis frangitur, (oportet) quod sub qualibet parte remanet totum corpus Christi; quod ideo est quia corpus Christi sub hoc sacramento est per vim conversionis panis in ipsum, substantia autem panis conversa est in substantia corporis Christi, dimensionibus panis remanentibus; unde dimensiones corporis Christi non sunt in sacramento nisi per naturalem concomitantiam, quia scilicet sine his substantia corporis Christi esse non potest; non ergo comparatur substantia corporis Christi ad dimensiones sacramentales mediante propriis dimensionibus, sed potius dimensiones mediante substantia, et propter hoc etiam non commensuratur loco sacramenti secundum dimensiones proprias, sed secundum dimensiones panis remanentes. Ubi cumque substantia comparatur ad aliquod quantum non per dimensiones, oportet quod totum sit in toto et in qualibet parte, sicut patet de anima; unde et substantia corporis Christi tota est sub qualibet parte fractionis. Signat autem fractio panis passionem Christi et distinctionem partium corporis mystici et divisionem donorum diversorum, secundum diversos fideles, a Christo in quo uniuntur. Circa secundum vero, videtur haec locutio esse falsa: *hoc est corpus meum*. Transsubstantiatio enim fit in ultimo instanti pronuntiationis verborum: tunc enim prima locutio habet suam perfectam locutionem; cum ergo dicitur *hoc*, in principio locutionis, demonstratur substantia panis; ergo sensus est: hic panis est corpus meum, quod patet esse falsum. Et ideo aliqui dixerunt quod verba ista a sacerdote consecrante recitative dicuntur; unde sumuntur materialiter et non significative. Sed secundum hoc, verba non referrentur ad materiam praesentem, et sic non fieret consecratio per haec verba. Dicit enim Augustinus: *accedat verbum ad elementum et fit sacramentum*. Et praeterea eadem difficultas sequeretur de prima prolocutione qua Christus significative protulit. Quamvis ergo sacerdos recitative proferret, tamen significative sumuntur, quia ipse consecrat in persona Christi ex cuius persona recitat; unde utitur verbis Christi sicut suis, ad materiam praesentem applicando. Et ideo alii dixerunt quod si hoc facit demonstrationem ad intellectum, ut sit sensus: *hoc est corpus meum*, idest significatum per hoc est corpus meum. Alii vero dixerunt quod demonstratio huius pronomini fertur ad hoc quod est in fine locutionis. Sed neutrum horum potest esse, quia sacramentalia signa efficiunt quod figurant; quod autem panis sit signum corporis Christi vel quod corpus Christi sit corpus Christi, non efficitur per formam huius sacramenti; neutrum ergo potest esse sensus huius locutionis. Et ideo aliter dicendum quod verba formarum sacramentalium non solum sunt significativa sed etiam factiva. Sicut autem in fractione naturae vel artis est quid commune quod manet in tota transmutatione, ita et in hoc sacramento, sed ibi manet subiectum, hic autem species. Illud ergo commune

indeterminate demonstratur per pronomen *hoc*, ut sit sensus: *hoc*, idest contentum sub his accidentibus sensibilibus est corpus Christi, et hoc facit consecratio; et ideo significative non apponitur aliquod nomen ex parte suppositi quod significet certam substantiam, sed pronomen tantum non significans determinatam formam. Mysterium autem ostendit cum subdit: *quod pro vobis tradetur*, scilicet ad passionem, secundum illud Eph. V: *tradidit semetipsum pro nobis*; quae quidem passio per hoc sacramentum representatur, unde subdit: *hoc facite in meam commemorationem*, idest in memoriam meae passionis, Ps.: *memoriam fecit mirabilium suorum et cetera*.

Versiculus 25

[87607] Super I Cor., cap. 11 v. 25 Similiter et calicem et cetera. Hic agit de institutione Eucharistiae quantum ad consecrationem sanguinis, et circa hoc duo facit: primo ponit ordinem institutionis, secundo verba consecrationis, ibi: hic calix et cetera. Dicit ergo primo: *similiter*, quia ex aequo ad perfectionem sacramenti pertinet consecratio corporis et sanguinis: neque enim est perfecta refectio si sit cibus sine potu, neque etiam corpus Christi sine sanguine consecrari debuit. Et quia corpus Christi sine sanguine consecrari non debet, quidam antiqui dixerunt quod istae duae formae se expectant ita scilicet quod (per) verba prolata ad consecrationem corporis non sortiuntur suum effectum quousque verba quae pertinent ad consecrationem sanguinis fuerint terminata. Sed hoc non videtur convenienter dictum quia utraque forma per seipsam efficaciam habet, et tamen in corpore consecrato est sanguis et in sanguine consecrato est corpus. Ad cuius evidentiam sciendum est quod in sacramento altaris continetur aliquid dupliciter: uno modo ex vi sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi sacramenti continetur ibi illud in quod transsubstantiatio terminatur, et hoc potest cognosci ex ipsa forma consecrationis; ex naturali autem concomitantia continetur ibi illud in quod transsubstantiatio non terminatur, sed tamen est realiter adiunctum termino transsubstantiationis. Ex hac enim forma qua dicitur: *hoc est corpus meum*, potest cognosci quod panis convertitur in substantiam corporis, non autem in animam; unde corpus est ibi ex vi sacramenti, anima autem est ibi ex naturali concomitantia quia corpori unitur. Unde si fuisset hoc sacramentum peractum in triduo mortis Christi, quando anima erat a corpore separata, realiter fuisset sub sacramento corpus sine anima. Sic igitur sub specie panis est corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex naturali concomitantia. Sciendum autem quod vino addenda est aqua secundum Ecclesiae consuetudinem quae initium habuit a prima institutione huius sacramenti: credibile enim est quod Christus in illa cena, vinum cum aqua mixtum discipulis dedit secundum consuetudinem terrae illius ubi sunt vina fortia, unde dicitur Prov. IX: *bibite vinum quod miscui vobis*. Habet tamen significationem, quia per aquam adiunctam vino significatur populus fidelis participans redemptioni quae est per sanguinem Christi: aqua enim populum significat secundum illud Apoc. XVII: *aquae multae populi multi*. Ex quo etiam patet quod appositio aquae non est de necessitate sacramenti; unde si omitteretur vel ex proposito vel oblivione, peccaret quidem omittens, nihilominus tamen perficeretur sacramentum. Significatio enim aquae appositae non refertur ad ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi, sed ad usum fidelium; verum autem sacramentum hoc non consistit in usu materiae consecratae, sicut sacramentum Baptismi et confirmationis et extremae unctionis, sed ipsa materia consecrata continens corpus et sanguinem Christi est sacramentum. De aqua autem appositae, quidam dixerunt quod manet in aliud non conversa, sed alii verius dicunt quod convertitur in vinum propter vini abundantiam, et vinum convertitur in sanguinem Christi, et ideo tutius est ut apponatur minimum de aqua: hoc enim sufficit ad significationem; si autem multum apponetur, corrumpet speciem vini, et maxime si vinum sit debile. Sequitur: postquam cenavit, ubi considerandum est quod post cenam agni typici sacramentum sanguinis sui instituit, ut significaret illud esse figuram suae passionis secundum illud Col. II: *quae sunt umbra futurorum* et cetera. Sequitur: hic calix novum testamentum et cetera. Hic ponuntur verba consecrationis in quibus primo demonstrat dignitatem sacramenti, secundo iniungit usum, ibi: hoc facite et cetera. Circa primum considerandum est quod verba quibus Ecclesia in consecratione sanguinis utitur differunt ab omnibus illis quae in sacra Scriptura leguntur: dicitur enim Matth. XVI et Mc. XIV: hic est sanguis meus novi testamenti, Luc. vero XXII habetur sicut hic. Dicunt igitur quidam quod quaecumque verba proferuntur a sacerdote eorum quae in sacra Scriptura continentur perficitur consecratio sanguinis. Sed melius vero dicendum quod in illis verbis tantum consecratio fieri potest quibus Ecclesia utitur: haec enim verba Ecclesia retinuit ad consecrandum ex privata traditione apostolorum, secundum quod a Christo acceperunt; Evangelistae vero et etiam Paulus hic non intendunt formam

sacramenti tradere sed factum recitare. Tanguntur autem in forma Ecclesiae quaedam quae in nullo Scripturae loco inveniuntur, sicut hoc quod dicitur: *mysterium fidei*, et hoc quod additur: *aeterni*. Quidam vero dicunt quod non omnia verba ista sunt de forma consecrationis sanguinis, sed solum hoc quod dicitur: *hic est calix sanguinis mei*. Mihi autem videtur quod totum sit de forma praeter verba quae pertinent ad usum sacramenti, ut quod dicitur: *accipite et bibite*, et item: *hoc facite in meam commemorationem*; non enim hoc sacramentum consistit in usu sed in materia consecrata, ut dictum est. Ideo vero in forma consecrationis corporis nihil additur supra hoc quod dicitur: *hoc est corpus meum*; in forma vero consecrationis sanguinis additur aliquid supra hoc quod dicitur: *hic est calix sanguinis mei*, quia sub specie panis representatur tantum subiectum patiens, scilicet corpus Christi, sub specie vero vini representatur ipsa passio Christi per quam sanguis effusus est, et ideo oportuit quod in forma sanguinis exprimerentur effectus passionis qui ad nos perveniunt per hoc sacramentum. Sunt autem tres effectus passionis Christi, quorum primus est remissio peccatorum, secundum illud Apoc. I: *lavit nos a peccatis etc.*, et hoc tangitur cum dicitur: *quod pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Secundus est iustificatio fidei, secundum illud Ro. III: *iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, et hoc tangit (tangitur) cum dicitur: *mysterium fidei*, quia scilicet passio Christi hoc sacramento representata est, quoddam occultum latens in omnibus figuris veteris testamenti, quod quidem occultum fides Ecclesiae suscepit credendum. Tertius autem effectus est adeptio celestis gloriae, secundum illud Hebr. X: *habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*, et hoc tangitur cum dicitur: *novi et aeterni testamenti*; caelestis enim hereditas dicitur novum (aeternum) testamentum, propter rei repromissae aeternitatem, novum vero per comparisonem ad praecedens in quo promittebantur terrena; ponuntur autem converso ordine quia finis prior est in intentione. His autem praeexpositis, expositio litterae consideranda est. Dicit ergo: *hic calix*, quod dupliciter sumi potest: uno modo metonimice secundum quod continens ponitur pro contento, ut sit sensus: *hic calix*, idest contentum in hoc calice; alio modo metaphorice secundum quod calix significat passionem, secundum illud Matth. XX: *potestis bibere calicem quem* et cetera. Sequitur: *novum testamentum est in meo sanguine etc.*, ubi considerandum est quod testamentum potest hic dupliciter sumi. Uno modo pro quolibet pacto, propter testes qui adhibentur. Consuetudo autem fuit apud antiquos quod in confirmatione cuiuslibet pacti hostia caederetur et sanguis effunderetur; unde et in primo pacto quod Deus cum hominibus fecit, in latrone veteris legis, promittens observantibus bona terrena, legitur sanguis effusus, et hoc est quod dicitur Exod. XXIV quod Moyses *sumptum sanguinem respersit in populum et ait: hic est sanguis foederis quod pepigit dominus vobiscum super cunctis sermonibus istis*. Postea vero fecit novum pactum in datione novae legis, promittens bona aeterna, Ier. XXXI: *feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum*, pro qua habetur in alia littera qua utitur apud Hebr. VIII: *novum testamentum*, et hoc pactum confirmatum est per sanguinem Christi; unde dicitur Hebr. IX: *per proprium sanguinem introivit etc.*; sic ergo sensus est: *hic calix est novum testamentum in meo sanguine*, idest representans confirmationem novi testamenti quae est per meum sanguinem. Alio modo potest accipi testamentum proprie pro dispositione hereditatis; huius autem testamentum confirmatur sola morte testatoris, et ideo ut firmum esset testamentum quod Deus nobis fecerat de hereditate celesti, voluit mori et sanguinem fundere, et hoc est quod dicitur Hebr. IX: *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente repromissionem accipiant etc., ubi enim est testamentum etc., testamentum enim in mortuis etc.*; sic ergo sensus est: *hic calix est confirmatio novi testamenti per meum sanguinem*. Consequenter praecipit usum dicens: *hoc facite quotiescumque sumetis in meam commemorationem*, idest in memoriam mortis meae, Thren. III: *recordare paupertatis etc.*, Ps.: *memoriam fecit mirabilium suorum* et cetera.

Versiculus 26

[87608] Super I Cor., cap. 11 v. 26 Quotiescumque enim manducabitis et cetera. Hic apostolus tradit usum sacramenti, ubi tria facit: primo enim assignat figuratum mysterium, secundo ostendit imminens periculum indigne sumentibus: itaque qui indigne, tertio adhibet salutare remedium seu consilium, ibi: probet autem seipsum et cetera. Dicit ergo primo quod mysterium dominicae passionis representatur in usu istius sacramenti quia *quotiescumque manducabitis panem hunc*, scilicet consecratum, qui *panis vivus*, Io. VI, *et calicem hunc, mortem domini annuntiabitis*, idest in ipso sacramento facitis commemorationem et representatis dominicam passionem, *donec veniat*, scilicet ad iudicium, Is. III: *dominus ad iudicium venerit* et cetera. Et hoc ergo haberi

potest quod sacramenta non deficient ecclesiastica usque ad diem iudicii, Matth.: *ecce ego vobiscum sum et cetera*. Nota autem quod memoria dominicae passionis tria facit: inflammat ad amorem Dei, Ro. VI: *commendat Deus suam caritatem*; inducat ad malorum tolerantiam, Hebr. XII: *recogitate eum qui talem etc.*; est nobis ad speciale magisterium omnium virtutum, Philip. II: *hoc sentite in vobis etc.*, *humiliavit semetipsum etc.*; et propter hoc dominus voluit frequentari istud sacramentum a nobis ut memoria suae passionis iugiter esset in cordibus nostris, Thren. III: *recordans paupertatis meae etc.*, *memoria memor et cetera*.

Versiculus 27

[87609] Super I Cor., cap. 11 v. 27 Itaque quicumque indigne. Hic ostendit periculum indigne manducantibus, dicens quod ex quo memoria dominicae passionis sit in isto sacramento, *itaque quicumque manducaverit etc.*; ubi nota quod tribus modis indigne accipitur hoc sacramentum: primo si deficiat in ritu debito consecrandi; secundo si indevote accedit ad sacramentum, ut scilicet non aliam reverentiam specialem non adhibet huic sacramento quam cibis indifferenter sumptis, et ideo subdit: *non diiudicans corpus domini*, et semper habenda est devotio vel actualis vel habitualis; tertio si cum conscientia peccati mortalis vel cum voluntate peccandi accedit. Qui ergo indigne sumit *reus est corporis et sanguinis Christi*; hoc potest tripliciter exponi secundum Glossam. Uno modo expositio est magis litteralis et exponitur sic: *reus erit corporis et sanguinis*, idest reus erit de hoc quod ipse irreverenter accedit ad corpus et sanguinem domini, ac si dicat: reus est noxae commissae in dominum. Vel aliter, *reus erit corporis et sanguinis domini*, idest similis erit in culpa illis qui occiderunt Christum. Sed numquid indigne sumere corpus Christi est gravissimum peccatum? Videtur quod sic, quia illi qui occiderunt Christum gravissime peccaverunt. Dicendum quod sumere corpus Christi indigne non est gravissimum simpliciter respectu omnium peccatorum sed respectu multorum. Et ad hoc sciendum quod totum meritum hominis est in caritate, et ideo quanto aliquis actus magis est ex caritate, vel secundum suum genus vel quantum ad modum faciendi, tanto magis est meritorium; et dico secundum suum genus, quia contingit aliquem actum minus meritorium secundum genus aequiparari actui secundum genus suum magis meritorium quantum ad modum faciendi, in quantum fit ex maiori caritate, sicut actus matrimonii fit aliquando ex tanta caritate quod aequiparatur actui virginitatis in merito. Et e converso est de actu demeritorio, quia quanto contrariatur magis directe caritati tanto magis demeritorius, et hoc est contemptus Dei, et ideo actus qui plus habet de contemptu Dei magis demeritorius; Deus autem contemnitur vel in seipso vel in proximo vel in praeceptis eius; sed magis peccat quis quando Deum in seipso contemnit, et ideo blasphemia, idolatria et huiusmodi sunt gravissima peccata. Sed in his etiam quae in Deum sunt est gradus, quia Christus potest contemni vel in deitate vel in humanitate vel secundum quod est in sacramento; et plus peccat qui directe contemnit Christum in quantum Deum, quam qui contemnit eius humanitatem, Matth.: *qui dixerit blasphemiam in filium hominis etc.*; et similiter plus peccat qui contemnit humanitatem Christi quam ipsum prout est in sacramento. Sed in hoc etiam est gradus, quia magis peccat qui ex intentione contra sacramentum facit contemnendo, quam qui ex infirmitate, sicut qui propter verecundiam sumit timens iudicari peccatorum ab aliis. Et ideo dicendum est quod hoc peccatum quod hic dicit apostolus est maximum non simpliciter, sed respectu ad multa alia, scilicet quae sunt in proximum et quae fiunt ex infirmitate, Hebr. VI: *rursus crucifigentes*. Potest et tertio modo exponi: *reus erit sanguinis et corporis domini*, idest reus erit ex sanguine et corpore domini: sicut enim dicit Augustinus, malum alicui convertitur in bonum quando scilicet patienter sustinetur, ita bonum convertitur in malum quando male utitur bono, et quanto meliori bono male utitur tanto maius malum fit ei.

Versiculus 28

[87610] Super I Cor., cap. 11 v. 28 Probet seipsum homo. Apostolus hic adhibet salutare consilium, ubi tria facit: primo dat consilium, secundo consilii rationem assignat: qui enim manducat, tertio probat rationem ipsam: ideo inter vos. Dicit ergo primo: ex quo periculum imminet si indigne accipiatur corpus Christi, quod est faciendum? Quid? *Probet seipsum homo*, idest examinet conscientiam suam, Gal. VI: *opus suum etc.*, II Cor. XIII: *vosmetipsos probate* et cetera. Et nota quod sunt quattuor signa per quae potest homo seipsum probare utrum dignus sit sumere corpus Christi, licet non possit esse certus utrum odio vel amore dignus sit: primum est si libenter audit verba Dei, Io. VIII: *qui est ex Deo verba Dei audit*; secundum est si inveniatur promptus ad

opera caritatis, Io. XIV: *si diligitis me, sermo* etc.; tertium si detestetur peccata praeterita, Ier.: *peccata praeterita non nocent si non placent*, Ps.: *peccatum meum contra me est semper*; quarto si vadit cum proposito non peccandi, Eccli. XXI: *fili peccasti* et cetera. Et tunc, si haec quattuor signa invenit in se, accedat et *de pane illo edat et de calice bibat*, Cant. V: *comedite amici* et cetera.

Versiculus 29

[87611] Super I Cor., cap. 11 v. 29 Qui enim manducat et cetera. Hic ponit rationem et circa hoc duo facit: primo enim ponit consilii rationem, secundo probat ipsam per signum: *ideo inter vos*. Dicit ergo: dico quod probet et examinet se unusquisque antequam accedat ad communionem corporis Christi, *enim*, idest quia, *qui manducat panem*, scilicet corpus Christi, et bibit calicem salutis, scilicet sanguinem Christi, *indigne*, idest cum conscientia peccati vel fecte, *iudicium*, idest condemnationem, *sibi manducat et bibit*; et sumit hic *iudicium* pro damnatione, sicut Io. V: *qui male egerunt ibunt in ratione iudicii*; et in hoc *indigne manducat et bibit* quia non diiudicat, idest non discernit ab aliis cibis corpus domini, sed irreverenter et indiscrete sicut et alios cibos sumit, Matth. I: *dicitis: polluta est mensa domini* et cetera. Sed contra, Io. V: *dicit dominus: qui manducat me vivit propter me*; non ergo in damnationem sed in vitam sumit. Respondeo. Sciendum est circa hoc quod tripliciter aliquis manducat corpus Christi: quidam enim manducant sacramentum sed non sacramentaliter, quidam sacramentaliter sed non spiritualiter, quidam vero et sacramentaliter et spiritualiter; potest etiam addi quartus modus, scilicet quod quidam manducant spiritualiter sed non sacramentaliter. Sacramentaliter autem sumere sacramentum est uti sacramento ut sacramento; quicumque ergo modo hostia consecrata ab aliquo sumatur, sacramentum sumit, sed tamen non sacramentaliter: qui enim non credit nec habet fidem Christi cuius virtute sunt sacramenta, potest quidem sumere sacramentum si sumat rem consecratam, sed non sacramentaliter; fidelis etiam si sumat hostiam nesciens quod consecrata sit, sumit sacramentum sed non sacramentaliter, quia non sumit eam ut sacramentum, idest prout significat et representat passionem Christi; et similiter est si sumatur ab aliquo animali irrationali. Sed inter istos est differentia, quia fidelis etsi non sumat sacramentaliter actu, sumit tamen habitu in quantum habitualement devotionem et fidem habet ad sacramentum hoc; infidelis vero nec habitu nec actu, sed potentia in quantum possibile est ipsum converti ad fidem; animal vero irrationale nec habitu nec actu nec potentia, in quantum non est in eo potentia ad fidem. Sed tamen advertendum est quod circa hoc est duplex falsa opinio: quidam enim dicunt quod quam cito sumitur a peccatore hostia consecrata desinit esse corpus Christi sub speciebus panis; alii dicunt quod si sumatur ab aliquo animali bruto, quam cito intrat os muris et bruti desinit similiter esse sub speciebus illis corpus Christi. Et utraque est falsa, quia in omni consecratione quam Ecclesia facit, quamdiu manet res consecrata consecrationem non amittit, quia consecrationes Ecclesiae perpetuae sunt; et ideo dicendum est quod quamdiu manet in hostia consecrata species panis, tamdiu est ibi veritas corporis Christi. Sacramentaliter autem et non spiritualiter sumitur (sumunt) corpus Christi qui *indigne*, idest cum conscientia peccati et cum non recta intentione sumunt, quia non accipiunt ut rem sacramenti quae est innovatio corporis Christi. Sacramentaliter autem et spiritualiter sumunt qui et devote et sine conscientia peccati digne sumunt. Spiritualiter autem et non sacramentaliter sumunt qui devotionem habent ad sacramentum, non tamen sumunt. Illud ergo quod dicit dominus in Ioh. intelligitur de illis qui sumunt sacramentaliter et spiritualiter; hic vero dicitur de illis qui sumunt sacramentaliter sed non spiritualiter.

Versiculus 30

[87612] Super I Cor., cap. 11 v. 30 Ideo inter vos et cetera. Hic probat positam rationem per signum, et circa hoc duo facit: primo ponit signum, secundo causam signi, ibi: quod si nosmetipsos iudicemus et cetera. Dicit ergo *iudicium sibi manducat*, idest futuram damnationem, et huius signum est quia in praesenti infirmitatibus puniebantur, et hoc est quod dicit: *ideo*, scilicet quia indigne sumitis, *inter vos*, supple sunt, *multi infirmi*, communibus infirmitatibus, *et imbecilles*, longa invalidudine laborantes, *et dormiunt multi*, morte corporali. Et forte inde est quod tempore paschali consueverunt esse pestilentiae, quia tunc multi communicant inter quos forte multi indigne sumunt, Sap. XI: *per quae quis peccat* et cetera. Sed quaeritur quare tunc etiam corporaliter puniebantur, et modo non. Dicendum est quod, sicut dicit Glossa super illud Act. V de Anania et Zaphira, omnis lex incipit a severitate, ut homines ad observantiam legis per timorem adducantur quousque assuescant et

afficiantur per amorem ad legem, et ideo in primitiva Ecclesia durius puniebantur transgressores; nunc vero, quia iam afficiuntur ad fidem et habent sacramentum fidei in reverentia, non necessarius est tantus rigor. Vel potest respondi aliter, quia tunc quolibet die communicabant, et ideo maius peccatum erat indigne sumentibus.

Versiculus 31

[87613] Super I Cor., cap. 11 v. 31 Quod si nosmetipsos iudicemus. Hic ponit causam signi, et duplicem: unam ex parte nostra, aliam ex parte Dei, ibi: cum iudicemur et cetera. Causa signi ex parte nostra est negligentia discussionis conscientiae nostrae, et hoc est quod dicit: *si nosmetipsos iudicemus*, paenitendo, timendo, accusando conscientiam suam in praesenti, *non utique iudicemur* a Deo, Iob XXXIII: *ponam coram eo* et cetera. Sed contra, Ro. XIV: *beatus qui non iudicat semetipsum* etc., et supra X: *neque meipsum iudico*. Respondeo. Dicendum est quod iudicium dupliciter dicitur: aliquando pro discussione, quandoque pro finali sententia. Primo modo debet quilibet iudicare se, idest discutere conscientiam suam; secundo modo nullus debet se iudicare, quia nullus est certus utrum sit iustus finaliter, et ideo dicit apostolus: *nec mihi conscius sum* etc.; illud ergo dicitur ad Romanos: *beatus homo qui non iudicatur*, idest qui non reddit se iudicabilem.

Versiculus 32

[87614] Super I Cor., cap. 11 v. 32 Causa signi ex parte Dei est quod iudicat nos hic, non ad damnationem sed ad nostram correctionem, Prov. III: *quem diligit dominus corripit*, Iob V: *beatus homo qui corripitur a domino*, et ideo dicit: *cum iudicemur* et cetera. In hoc etiam corrigimur in quantum alios punit, quia poena aliorum est ad correctionem nostram, Prov. XIX: *pestilente flagellato stultus* etc.; ideo corripimur ut non *cum hoc mundo*, idest cum mundanis hominibus qui iudicantur ad damnationem, damnemur; iusti vero iudicantur ad correctionem, Io. XV: *vos de mundo non estis*, I Io. I: *nolite diligere mundum* et cetera.

Versiculus 33

[87615] Super I Cor., cap. 11 v. 33 Itaque fratres mei. Hic reducit Corinthienses ad debitum ritum, et circa hoc duo facit: primo ponit ordinationem, secundo reservat alia ordinanda in adventu suo, ibi: cetera cum venero disponam et cetera. Circa primum, tria facit: primo ponit ordinem statuti, secundo excludit objectionem, ibi: si quis autem etc., tertio rationem dictorum assignat, ibi: ut non in iudicium et cetera. Dicit ergo primo: ex quo tot mala veniunt vobis quia male convenitis, *itaque fratres mei, cum convenitis*, in Ecclesia, *ad manducandum corpus domini, exspectate* invicem, vel una consecratio simul fiat pro omnibus, Exod. XII: *immolabit haedum universa multitudo* etc., Ps.: *ecce quam bonum* et cetera.

Versiculus 34

[87616] Super I Cor., cap. 11 v. 34 Et quia posset aliquis dicere quod non possunt alios exspectare propter famem, ideo excludit hoc dicens: *si quis autem esurit*, ita quod propter hoc non possit exspectare, *manducet domi*, idest in domo sua suos cibos quos sibi paravit, scilicet corporales, Eccli. XXXIII: *omnem escam manducabit venter* et cetera. Rationem huius statuti assignat ut scilicet *non conveniatis in iudicium*, idest in condemnationem vestram, Habac. I: *non pervenit ad finem iudicium*, Ps.: *non congregabo conventicula* et cetera. Sed notandum quod in Glossa movetur quaestio utrum sit quotidie communicandum vel raro, et dicitur quod utrum est laudabile, scilicet quod frequenter et quod raro communicetur. Invenimus enim in Scriptura duos laudatos, scilicet Zacchaeum, quia cum gaudio recepit dominum et devotione, centurionem quia noluit dominum intrare domum suam dicens: *non sum dignus ut intres in domum meam*. Laudabile ergo est frequenter communicare ex devotione et raro ex humilitate; sed quod istorum sit melius? Sciendum est quod aliquid dicitur melius simpliciter, et aliquid huic seu secundum quid; illud dicitur melius simpliciter in istis operationibus quod procedit ex meliori actu simpliciter; communicare frequenter est actus caritatis, raro vero est actus timoris; cum igitur melior simpliciter sit caritas quam timor, simpliciter melius frequenter est quam raro communicare. Sed quoad hunc, tunc videndum est si ex frequenter sumere crescit in homine devotio, tunc melius est sumere frequenter; si vero non cresceret devotio et diminueretur devotio ad sacramentum, tunc melius est raro. Sequitur:

cetera cum venero disponam, quasi dicat: servate quae principalia circa hoc sacramentum sunt; necessaria vobis scripsi, cetera vero quae non sunt necessaria nec periculosa, disponam cum venero.

Caput 12

Versiculus 1

[87617] Super I Cor., cap. 12 v. 1 De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres et cetera. Post doctrinam trium sacramentorum, scilicet Baptismi, matrimonii et Eucharistiae, instruit apostolus Chorinthienses de re ipsorum sacramentorum. Est autem duplex res sacramenti: una est significata et contenta in sacramento, scilicet gratia, alia est significata et non contenta, scilicet gloria; et ideo primo tractat de prima, scilicet de donis gratiarum, secundo vero de gloria resurrectionis, et hoc in XV capitulo. Circa dona vero gratiarum tripliciter errabant Chorinthii: primo quia aliqui inter eos credebant quod dona gratiarum non essent a spiritu sancto sed a Diabolo, secundo quia inter eos erat invidia et dissentio ex hoc (quod) unus abundantiore gratiam alio recipiebat a Deo, tertio quia quaedam dona minus valentia praeferebant quibusdam donis magis valentibus. Et ideo tria facit circa dona gratiarum: primo enim ostendit gratiarum sive donorum auctorem, secundo donorum distributionem, ibi: divisiones vero gratiarum etc., tertio vero donorum ad invicem comparisonem, ibi: si linguis hominum loquar et cetera. XIII capitulo. Circa primum duo facit: primo excitat attentionem, secundo manifestat veritatem: scitis quoniam cum gentes et cetera. Dicit ergo primo: o fratres, ita vos docui de ipsis sacramentis quae sunt necessaria, et ea quae non sunt ita necessaria disponam cum venero; sed *de spiritualibus*, idest de donis spiritus sancti, significatis seu contentis in ipsis sacramentis, *nolo vos ignorare*, et quia periculum est, quia omnis ignorans ignorabitur, infra XIII, et quia necessarium est scire, Iob 19: *si ignoravi*, scilicet spiritualia, *mecum erit* et cetera.

Versiculus 2

[87618] Super I Cor., cap. 12 v. 2 Scitis quoniam et cetera. Hic manifestat veritatem, scilicet quis sit dator donorum gratiae, quia spiritus sanctus, et circa hoc duo facit: primo sumit experimentum ex pristina vita, secundo ex hoc concludit veritatem: notum vobis facio et cetera. Hoc est ergo quod intendit hic apostolus. Constat quod antequam essetis conversi ad fidem, faciebatis multa mala, et huius causa erat quia non habebatis spiritum sanctum; cum ergo modo faciatis bona, scilicet postquam recepistis spiritum sanctum, constat quod hoc non est nisi a spiritu sancto. Et hoc est quod dicit: *scitis*, per experientiam, *quoniam cum gentes essetis*, idest gentiliter viveretis, *eratis euntes*, idest ibatis, *ad simulacra muta*, colendo ea et adorando; ibatis, inquam, non coacti sed *prout ducebamini*, quasi in nullo resistentes sed sponte euntes: qui enim resistunt non vadunt prout ducuntur, quia etsi vadant ex infirmitate ad peccatum, tamen displicet eis, sed qui non resistunt vadunt prout ducuntur a spiritu maligno, Ier. 33: *factus est cursus eorum malus*, Prov. VII: *statim ea sequebatur quasi bos* et cetera. Et notandum quod tradens doctrinam de spiritualibus, reducit eos ad considerationem pristinae vitae, ut dum illa displicet spiritualia magis placeant.

Versiculus 3

[87619] Super I Cor., cap. 12 v. 3 Ex hoc concludit quod quia antequam spiritum sanctum haberent semper peccabant, manifestum est quod bona quae nunc faciunt sunt a spiritu sancto, et hoc est quod dicit: *ideo vobis notum facio* et cetera. Et circa hoc duo facit: et primo ostendit quod spiritus sanctus potens est custodire hominem a peccato, secundo quod sine spiritu sancto nullus potest vitare peccatum. Quantum ad primum dicit quod *nemo in spiritu Dei loquens dicit: anathema Iesu* etc., quasi dicat: nemo habens spiritum Dei peccat, cum sit potens custodire a peccato. Sed tamen dupliciter potest intelligi aliquis *loquens in spiritu Dei*, vel quasi spiritum Dei habens, vel spiritu Dei motus; sed aliqui spiritu Dei moventur ad loquendum qui non habent spiritum Dei, sicut Balaam cum laudaret filios Israel: spiritu Dei movebatur sed non habebat ipsum: et quocumque istorum modorum exponatur verum est: si enim dicatur *nemo loquens in spiritu Dei*, idest motus a spiritu Dei, vel *nemo in spiritu Dei loquens*, idest habens spiritum Dei, *dicit: anathema Iesu*. Et hoc similiter exponitur dupliciter: anathema enim importat separationem; separatur autem quis a Iesu blasphemando Iesum vel

peccando. *Nemo ergo loquens in spiritu Dei*, idest habens vel motus a spiritu Dei, *dicit: anathema Iesu*, idest blasphematur Iesum, quia hoc non est a spiritu Dei, nec ore nec corde nec opere peccando recedit a Iesu, quia spiritus sanctus coniungit nos Iesu, Ioh.: *omnis spiritus qui solvit Iesum*. Sed contra hoc est quia ex hoc sequitur quod nullus habens spiritum sanctum peccare possit. Ad hoc dicendum quod quaecumque hae locutiones dicuntur, intelligendum quod nullus secundum caritatem agens vel secundum instinctum spiritus sancti peccat. Nihilominus tamen potest peccare si vult, quia licet haec perficiant hominem non tamen tollunt libertatem arbitrii, et hoc modo intelligitur illud Ioh.: *omnis qui natus est ex Deo non peccat*, scilicet si vult. Quantum vero ad secundum dicit: *nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto*. Sed contra: qui habet spiritum sanctum est dignus vita aeterna, quia spiritus sanctus est arra vitae aeternae; sed Matth.: dicit dominus: *non omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum caelorum*; non ergo omnis dicens dominus Iesus habet spiritum sanctum. Respondeo dicendum quod hoc potest exponi dupliciter, primo modo sic: *nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto*, idest nisi motus a spiritu sancto; secundo modo; idest nisi habens spiritum sanctum; si primo modo, tunc sic intelligitur: nemo potest dicere dominus Iesus, idest istam veritatem quod Iesus est dominus, nisi a spiritu sancto, quia omne verum et omne bonum est a spiritu sancto, et sic li dicere accipitur simpliciter; si vero secundo modo, tunc li dicere acciperetur strictius, sic: nemo potest dicere, ut li dicere sit efficaciter, quasi dicat: ut sic confiteatur corde et opere sicut dicit ore Iesum esse dominum, et hoc non est nisi a spiritu sancto. Ad illud vero quod obicitur de auctoritate Matth., respondendum est de illis qui dicunt solo ore, factis autem eum negant. Circa hoc autem nota quod ex his tribus quae posita sunt possumus colligere tres conditiones seu effectus gratiae spiritualis: prima est quod homo in peccato existens sine gratia non potest vitare peccatum, et hoc colligitur ex hoc quod dicit: *cum gentes essetis etc.*, Ps. (XCIII 17): *nisi quia dominus adiuvit me etc.*; secunda conditio est quia gratia sufficienter custodit hominem a peccato, et hoc ibi: *nemo in spiritu Dei loquens etc.*; tertia conditio quia nullus potest facere opus meritorium sine gratia, et hoc ibi: *nemo potest dicere dominus Iesus etc.*, infra XI (XV 10): *gratia Dei sum id quod sum*.

Versiculus 4

[87620] Super I Cor., cap. 12 v. 4 Divisiones vero gratiarum et cetera. Hic ponitur donorum distributio, et circa hoc tria facit: primo ponit donorum actorem, secundo donorum utilitatem, ibi: unicuique autem datur etc., tertio ponit similitudinem huius, ibi: sicut enim unum corpus et cetera. Circa primum sciendum est quod differentia graduum vitae spiritualis in membris Ecclesiae est secundum differentem distributionem donorum gratiae, et ideo in hoc duo ponit: primo ipsa dona differenter distributa, secundo ipsorum donorum actorem. Attenditur autem differentia in membris Ecclesiae, secundum dona: sic beatus Paulus praeminebat dono sapientiae, beatus Petrus dono virtutis seu miraculorum, et sic de aliis, quia diversi secundum diversa dona praeminebant; secundum officia, quia unus fuit apostolus, alius Evangelista; secundum affectiones, quia unus contemplativus, alius activus, alius in exercitio patientiae. Et quantum ad illa tria ponit distributiones, et primo quantum ad dona seu gratiarum, et ideo dicit: divisiones gratiarum sunt; secundo quantum ad administrationes seu officia, et ideo dicit: et divisiones ministracionum sunt; tertio quantum ad operationes seu actiones, et ideo dicit: et divisiones operationum sunt. Et quolibet istorum ponit actorem: nam distributio gratiarum attribuitur spiritui sancto sicut actori, et hoc est quod dicit: divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, et huius ratio est quia gratia gratis datur et gratum facit, et haec dantur ex amore, unde quia spiritus est amor ei attribuitur distributio gratiarum, Ro. V: *caritas diffusa est in cordibus nostris per spiritum etc.*, et ideo dicit: *idem autem spiritus, qui dividit singulis prout vult*, Sap. Est enim in illa spiritus unicus in essentia, multiplex in effectum.

Versiculus 5

[87621] Super I Cor., cap. 12 v. 5 Distributio ministracionum attribuitur domino, et huius ratio est quia domini est distribuere officia, supra 8: *nobis autem unus dominus etc.*, et hoc est quod dicit: *et distinctiones ministracionum*, idest officiorum, sunt, Ps. 31: *vos autem sacerdotes domini etc. ministri etc.*, supra 4: *sic nos existimet homo ut ministros etc.*; *idem autem dominus*, qui scilicet distribuit.

Versiculus 6

[87622] Super I Cor., cap. 12 v. 6 Distributio operationum attribuitur ei qui in omnibus operatur, hoc est Deo, et huius ratio est quia prima causa operatur in omnibus, Is. XXVI: *omnia opera vestra* etc., et ideo dicit: *et divisiones operationum sunt, idem autem Deus*. Et nota quod haec tria quae ponit, scilicet spiritus, dominus, Deus, attribuuntur tribus personis: spiritus enim attribuitur spiritui sancto, dominus Christo, Deus patri. Et ne intelligatur quod horum operationes sint diversae, ideo subiungit: *qui operatur omnia in omnibus*, quod exponitur dupliciter: uno modo quasi collective, non ita: qui operatur omnia in unoquoque, sed *omnia in omnibus*, quia in uno unum in alio operatur aliud; alio modo *operatur omnia in omnibus*, quia omnia dona in omnibus membris Ecclesiae quilibet per caritatem facit sua: si enim diligis aliquem bona operantem, illa bona sunt tua, si odis perdis illa, Phil. II: *Deus autem est* et cetera. Et huiusmodi expositiones satis sunt bonae, sed secundum intentionem apostoli convenientius videtur quod haec tria, scilicet spiritus, dominus, Deus, attribuuntur spiritui sancto, et ideo subdit: haec autem operatur unus atque spiritus Dei et cetera. Est ergo spiritus sanctus et dominus et Deus, contra errorem Macedonii qui dicebat spiritum sanctum creatum et minorem filio: non enim est creatura, quia Deus per naturam, non minor filio quia dominus. Et ex hoc videtur sumptum illud de symbolo: *et in spiritum sanctum dominum et vivificantem*.

Versiculus 7

[87623] Super I Cor., cap. 12 v. 7 Unicuique autem datur manifestatio. Hic ponit apostolus utilitatem donorum, et circa hoc facit tria: primo ponit donorum utilitatem, secundo enumerat ipsa dona, ibi: alii quidem datur etc., tertio manifestat donorum causam: haec autem operatur unus et cetera. Circa primum tria facit: primo ostendit quod haec dona non habet homo a se, sed dantur sibi ab alio, et ideo dicit: *unicuique autem datur*, scilicet a Deo, Iac. I 17: *omne datum optimum* etc., Matth. XXV: *unicuique secundum propriam virtutem*, I Pet. 4: *unusquisque gratiam quam accepit*; et ideo non debet homo gloriari de his, quasi ex se habeat, supra 4: *quid habes quod non accepisti* et cetera. Secundo ostendit quod haec dona, scilicet gratis data, non sunt secundum quae inhabitat spiritus sanctus, sed sunt ad manifestationem, et ideo dicit: *manifestatio spiritus*, et hoc dupliciter: quia quandoque datur manifestatio spiritus ut scilicet inhabitet in eo qui faciet ista opera, scilicet ut miracula, vel prophetizat, Phil.: *notum fecit Deus* etc.; quandoque datur manifestatio spiritus non qui inhabitet in eo qui operatur, quia aliquando haec fiunt ab homine in peccato existente, sed quod spiritus sit in Ecclesia, quia omne verum et omne bonum a quocumque fiat fit a spiritu sancto. Tertio ostendit finem donorum, quia non dantur ista dona solum ut cognoscatur quod spiritus sit in illo vel in Ecclesia, quia hoc esset vanum - solius enim Dei est cognosci propter (se) secundum cognoscere solum - sed dantur *ad utilitatem* quae attenditur quantum ad duo: quantum ad hoc quod ex manifestatione spiritus alii convertuntur et imitantur eos in bonum, et quantum ad hoc quod fides confirmatur ex hoc in cordibus fidelium, Ro. XIII: *unusquisque proximo placeat ad edificationem*.

Versiculus 8

[87624] Super I Cor., cap. 12 v. 8 Alii quidem datur per spiritum et cetera. Hic enumerat dona distributa, et circa hoc duo facit: primo ponit illa quae sunt ad utilitatem fidei, secundo illa quae sunt ad argumentum fidei, ibi: alii gratia sanctorum. Et quia dantur ad utilitatem fidei, ut dictum est, ideo secundum quod fides exigit ordinate distribuentur; ad constitutionem autem fidei duo exiguntur: verba ex parte docentis et auditus ex parte audientis, iuxta illud Ro. X: *fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei*; et ideo circa hoc duo facit: primo ponit ea quae requiruntur ex parte docentis, secundo ea quae requiruntur ex parte audientis, ibi: alii autem fides. Potest autem manifestari fides, vel ex his quae Dei sunt - sicut ex bonitate Dei non sustinentis homines totaliter perire, insinuo alicui mysterium incarnationis - vel ex parte creaturarum, sicut ex hoc quod mundus totus in maligno positus est et quod vitia habundant, ostendo quod homines recedunt a Deo; quibus ergo ut ex parte Dei inducant homines ad fidem datur sermo sapientiae, et ideo dicit: *alii quidem per spiritum sanctum datur sermo sapientiae*, qua scilicet praedicant fidem ex his quae a Deo sunt; quibusdam autem datur ut inducant homines ad fidem per rationes ex creaturis sumptas, et hic vocatur scientia, et ideo dicit: alii autem sermo scientiae, Prov. IX: *scientia sanctorum prudentia*, Sap. X: *dedit illi scientiam sanctorum*, ut scilicet illa doceat quae sunt ad edificationem non quae sunt ad curiositatem philosophiae, sicut sunt istae scientiae curiosae et quadrivales,

secundum quod dicit Augustinus. Ad sciendum autem quid sit sapientia videndum est quid sit sapiens. Est autem sapiens ille qui recte iudicat de rebus; iudicium autem fit per causam: quanto ergo aliqua causa altior tanto necesse est quod per causam iudicans sit sapientior, unde illi qui causas altiores in aliquo indeterminato genere cognoscunt non sunt sapientes simpliciter sed in illo genere; sed architectus dicitur sapiens in genere edificiarii vel artis, quia iudicat de fine illius, supra 3: *ut sapiens architectus* etc.; ille vero qui ultimam et universalissimam causam considerat et cognoscit simpliciter dicitur sapiens, et hic solus Deus, et ideo ille qui per rationes divinas et de aliis et de se iudicat dicitur sapiens; et ad hoc datur sermo sapientiae de qua apostolus supra II: sapientiam loquimur etc., sapientiam, inquam, non acquisitam ex rebus creatis sed infusam nobis per revelationem.

Versiculus 9

[87625] Super I Cor., cap. 12 v. 9 Alteri fides. Hic ponitur quod est ex parte audientis, quia *fides*. Fides autem potest accipi vel secundum quod pertinet ad gratiam gratum facientem prout est caritate informata - et sic non accipitur hic fides,- vel secundum quod dicit firmitatem et quandam certitudinem prae aliis in cognitione eorum quae fidei sunt, et sic accipitur hic, Matth. XV: *o mulier, magna est fides tua*. Vel aliter: *alteri datur fides*, idest sermo fidei, et secundum hoc etiam hoc refertur ad doctorem fidei, et sic ista tria, scilicet sapientia, scientia et fides, differunt, quia aliquis annuntiat fidem, ut dictum est, ex his quae sunt in Deo, et sic est sapientia, aliquis ex his quae sunt ex creaturis sumpta, et sic est scientia, aliquis simpliciter annuntiat fidem non per aliquas rationes ostendendo, et sic est fides. Alii gratia sanitarum et cetera. Hic ponuntur argumenta fidei, quae quidem sunt miracula et opera super natura, et dicuntur argumenta fidei. Si quaeritur autem quare credam his (quae) de fide praedicantur, respondetur quia Deus dicit; et iterum quaero unde constat quod Deus haec dicit: faciunt illa quae nullus potest facere nisi Deus, et haec sunt miracula, Marc. ult. (XVI 20): *illi autem profecti* etc., Hebr. II: *quae cum initium accepisset* et cetera. Et ponuntur hic argumenta eorum quae pertinent vel ad operationem vel ad cognitionem vel ad locutionem. Quantum ad operationem, ponuntur duo, quorum unum includit aliud: primum est gratia curandi infirmos verbo vel tactu, sine mora, et ideo dicit: alii gratia (sanitarum) in uno spiritu, Luc. IX: *dedit eis potestatem super omnia Daemonia et ut languores curarent*. Matth. X: *infirmos curate* et cetera.

Versiculus 10

[87626] Super I Cor., cap. 12 v. 10 Secundum est operatio virtutum, idest miraculorum quae sunt contra naturam, idest solitum cursum naturae, et ideo dicit: alii operatio virtutum, et primo includit secundum quia omnis operatio sanitatis miraculosa est operatio virtutum et non e converso. Dicitur autem operatio miraculorum virtus, quia virtus est ultimum de potentia, idest id quod ultimo quis potest, et ideo illud quod est ultimum in omnibus operibus dicitur antonomastice virtus; ultimum in omnibus operibus est instituere ipsam naturam, et ideo facere supra ipsam naturam dicitur hic virtus, Act. VIII: *Symon magus videns signa et virtutes* et cetera. Quantum ad cognitionem ponuntur duo quae sunt supra cognitionem naturalem nostram: primum est cognitio futurorum quae solius Dei est, Is. XLI: *futura quoque annuntient nobis* etc., et ideo dicit: alii prophetia, Ioel II: *effundam de spiritu meo* etc.; secunda est cognitio substantiarum separatarum et discretio spirituum, ut scilicet sciamus utrum ex Deo sunt, quia etiam Satanus transformatur se in Angelum lucis, II Cor. X, et quantum ad hoc dicit: alii discretio spirituum, I Ioh. III: *nolite probare spiritus utrum ex Deo* et cetera. Quantum autem ad locutionem ponuntur duo simul quae sunt supra hominem: primum est quod aliquis sciat loqui omnibus linguis, et hoc non est nisi a Deo et supra naturam: locutio enim non est quid naturale sed quid positum et ad placitum hominum, et numquam haberetur nisi addiscendo; constat autem quod nullus posset virtute suae naturae addiscere omnia genera linguarum, et ideo hoc est a solo Deo, et hoc est quod dicit: alii genera linguarum; secundum est interpretatio sermonum et somniorum, et hoc etiam a Deo, et quantum ad hoc dicit: alii interpretatio sermonum, idest linguarum vel visionum, Dan. V: *audivi de te quod possis obscura interpretare et ligata dissolvere*.

Versiculus 11

[87627] Super I Cor., cap. 12 v. 11 Haec omnia operatur. Hic ponitur causa seu actor donorum qui est spiritus

sanctus, ut dictum est, et ex hoc excluduntur quatuor errores. Quidam enim huiusmodi opera et dona referebant in virtutes stellarum, volentes quod quia hic homo natus est tali stella existente in tali loco sortitus est talem virtutem, scilicet vel praecognoscere futura vel curare infirmos, et sic de aliis; sed hoc excluditur hic cum dicitur: *haec operatur spiritus sanctus*, et non virtus corporum caelestium, Iob 26: *spiritus eius ornavit caelos*, Sap. 1: *spiritus domini replevit* etc., et ratio quare ista dona gratis data spiritui sancto attribuitur supra assignata est. Quidam autem, scilicet Platonici, istas diversitates donorum et effectuum omnium referebant in diversas causas spirituales et separatas, scilicet quod ab una causa habet homo quod vivat, ab alia quod sit sapiens, et huiusmodi; sed hoc excluditur hic cum dicitur: *unus sanctus spiritus*, Sap. VII: est enim unicus in essentia et multiplex in effectibus. Quidam autem, scilicet Pelagiani, ista dona attribuebant propriis meritis uniuscuiusque; sed hoc excluditur cum dicitur: *ut vult*, idest non pro exigentia meritorum, sed pro libero voluntatis arbitrio, Sap. XII: *subest cum volueris posse*; Ro. 4: *cuius vult miseretur* et cetera. Quidam, scilicet Macedonii, volebant quod spiritus sanctus non erat eorum dator nisi sicut minister, sed hoc excluditur cum dicitur: *prout vult*, non ergo ut minister, sed ut dominus, II Cor.: *spiritus dominus est*, et ideo in symbolo dicitur: *et in spiritum sanctum dominum* et cetera.

Versiculus 12

[87628] Super I Cor., cap. 12 v. 12 Sicut enim unum corpus et cetera. Posita distinctione donorum spiritualium, hic apostolus inducit similitudinem huius distinctionis, et hoc in corpore naturali. Et quantum ad duo, scilicet quantum ad unitatem partium corporis, et quantum ad operationem eorum ad invicem, ibi: si dixerit pes, quoniam non sum et cetera. Circa primum duo facit: primo ponit conditionem corporis naturalis, secundo adaptat similitudinem ad corpus mysticum, ibi: ita ut Christus. Conditio corporis naturalis duo habet: primo quod unitas corporis non excludit multitudinem membrorum, et quantum ad hoc dicit: sicut enim unum corpus, scilicet humanum, unum est coniunctione membrorum et habet multa membra et diversa; secundo quia multitudo membrorum non excludit unitatem corporis, et quantum ad hoc dicit: omnia autem etc., Rom. XII: *sicut in uno corpore multa membra* et cetera. Ita et Christus. Hic adaptat illas condiciones corpori mystico dicens quod sicut corpus naturale haec quae dicta sunt habet, ita et Christus, Rom. XII: *omnes unum corpus sumus*. Et circa hoc duo facit: primo enim adaptat similitudinem quantum ad distinctionem membrorum, secundo quantum ad unitatem corporis. Et (ponit) duplicem distinctionem: secundum legem, scilicet Iudaei et gentiles, et secundum naturam, scilicet liberi et servi.

Versiculus 13

[87629] Super I Cor., cap. 12 v. 13 Ponit etiam duplicem unitatem in Ecclesia, scilicet generationis quae est in Baptismo in quo regeneramur, et nutritionis quae est in uno potu quo sustentamur, ut sic distinctio non excludit unitatem, nec e converso, et ideo dicit: omnes in uno spiritu sancto, *unum corpus*, idest ut simus unum corpus, *baptizati sumus*, quantum ad unitatem generationis quae est in spiritu sancto non in unitate aquae, et hoc sive sint Iudaei sive gentiles, quantum ad distinctionem secundum (legem), sive servi sive liberi, quantum ad distinctionem (secundum naturam), Col. III: *ubi non est lex* et cetera. Et non sumus solum unum unitate spiritus, sed *omnes uno spiritu potati sumus*, in quo apparet unitas nutritionis, et potest hoc exponi dupliciter: *uno spiritu potati sumus*, idest uno potu sacramentali, supra X: *omnes eundem calicem* etc., et hoc sanctum quia virtute eius consecratur calix, vel de spiritu sancto seu dono eius, Eccli. III: *aqua sapientiae salutaris potabit* et cetera. Et dicitur spiritus potus, primo quia aufert sitim temporalium, Ioh. III: *si quis de hac aqua* etc., secundo quia dat refrigerium contra anxietates, Luc. I: spiritus suavitate, Hebr. III: *sicut nubes roris* etc., tertio quia cum suavitate percipitur, Sap. XII: *o quam bonus est spiritus* etc., quarto quia inebriatur, in quantum facit oblivisci temporalium et praeteritorum, Ps.: *calix meus inebrians* et cetera.

Versiculus 14

[87630] Super I Cor., cap. 12 v. 14 Consequenter replicat similitudinem praedictam cum dicit: nam et corpus etc., quasi dicat: non est mirum, scilicet haec sunt in corpore mystico quia etiam corpus humanum seu naturale

non est unum membrum sed multa.

Versiculus 15

[87631] Super I Cor., cap. 12 v. 15 Si dixerit pes et cetera. Comparat membra ad invicem, et primo comparat membra naturalia, secundo adaptat similitudinem ad membra spiritualia, ibi: vos autem estis et cetera. Comparat autem membra ad invicem quantum ad quatuor, primo quantum ad integritatem corporis, secundo quantum ad mutuam auxilium membrorum, ibi non potest autem etc., tertio quantum ad exteriorem cultum, ibi (et quae putamus etc.), quarto quantum ad mutuam compassionem (ibi: sed in idipsum etc.). Circa primum duo facit: primo enim ostendit diversitatem (in) membris, secundo causam huius diversitatis assignat, ibi: nunc autem posuit et cetera. Circa primum duo facit: primo ponit diversitatem membrorum, secundo ostendit inconueniens quod sequeretur si non esset in eis diversitas: si totum corpus et cetera. Ad evidentiam huius primae partis, sciendum est quod in corpore naturali quaedam membra sunt quae serviunt corpori ad operationem, sicut pedes et manus, quaedam quae ad cognitionem, sicut oculus (et) auris; et inter istos est etiam differentia, quia aliqua sunt magis nobilia et aliqua minus, et minus nobilia serviunt magis nobilia, sicut pes qui est minus nobilis servit manui, et auris oculo; et similiter ea quae sunt ad operationem serviunt his quae sunt ad cognitionem, et sunt ignobiliora eis. Et similiter in corpore mystico est duplex vita, scilicet activa et contemplativa, et haec est nobilior illa, et in qualibet sunt maiores et minores, quia in vita activa sunt praelati et subditi, et in vita contemplativa similiter. Sicut ergo in corpore naturali necessaria sunt diversa membra ad diversa officia, ita et in corpore mystico necessarius est diversus gradus: omnes tamen sunt de corpore Ecclesiae, scilicet maiores et minores. Et ideo hoc ostendit apostolus, et primo quantum ad vitam activam, unde dicit: *si dixerit pes*, idest subditus seu ille cui datum minus donum scilicet virtutum, *non sum manus*, idest praelatus, seu non habeo maiorem gratiam, *non sum de corpore*, non propter hoc non est de corpore; de pedibus istis dicitur Ez. I: *pedes eorum pedes recti*; de manibus dicitur: Cant. V: *manus eius coronati*.

Versiculus 16

[87632] Super I Cor., cap. 12 v. 16 Secundo ponit differentiam quantum ad vitam contemplativam, in qua est differentia quia quidam sunt qui per se capiunt doctrinam divinorum vel per revelationem, sicut prophetae, quidam qui per disciplinam, et ideo dicit: *si dixerit auris*, idest ille qui per disciplinam acquirit, scilicet qui habet scientiam per studium, *quia non sum oculus*, idest non sum propheta seu non habeo sermonem sapientiae, ideo *non sum de corpore* etc., sed est certe quia diversa membra unum corpus; de auribus dicitur Is. I: *dominus aperuit mihi aurem* etc., Iob XXIX: *auris audiens* etc.; de oculis, Cant. VI: *oculi tui sicut columbae* et cetera.

Versiculus 17

[87633] Super I Cor., cap. 12 v. 17 Si totum corpus. Hic ponit inconueniens quod sequeretur, quasi dicat: si non esset diversitas in membris, corpus esset imperfectum, quia si totum corpus esset oculus deficeret auditus. Et similiter esset in Ecclesia, quia si omnes essent doctores, non esset auditor, et si omnes essent audientes tum non esset aliquis qui discerneret. Odoratus enim est sensus spiritualis et deservit in spiritualibus ad discretionem boni et mali, et de hoc odore dicitur Cant. I: *in odorem* et cetera.

Versiculus 18

[87634] Super I Cor., cap. 12 v. 18 Nunc autem posuit. Ponit diversitatis huius causam, quae est Deus: et potest intelligi in corpore naturali et de membris interioribus et exterioribus, Iob 10 11: *pelle et carnis* et cetera. Et ex hoc non excluditur operatio naturae, quia agit in virtute Dei. Et similiter haec ratio potest assignari in diversitate membrorum Ecclesiae: voluntas Dei. Circa hoc tamen sciendum est quod in omnibus rebus in quibus attenditur integritas totius et diversitas partium, ratio agentis potest quantum ad quaedam assignari et quantum ad quaedam non. Quia si quaeratur quare partes in generali sunt tales vel sic positae, respondetur propter integritatem totius; si vero quaeratur quare haec et illa sunt posita in ista vel in illa parte, non assignatur causa nisi sola voluntas artificis. Sicut si quaeratur quare haec domus habet fundamentum et parietem et tectum, respondetur propter

integritatem domus; si vero quaeratur quare hic lapis positus est hic et non ibi, dicitur quod hoc voluit artifex. Et hoc similiter potest dici si quaeratur ratio diversitatis membrorum Ecclesiae. Et primo assignat causam in speciali, dicens quod non est alia causa nisi sola voluntas Dei: et hoc est quod dicit nunc autem posuit etc., quasi dicat: si quaeris quare Deus Petrum fecit apostolum et Nathanaelem non, et quare hunc prophetam illum Evangelistam, non est alia causa nisi voluntas Dei, quia unumquemque eorum posuit in corpore, id est in Ecclesia sicut voluit, Rom. IX 18 *cuius vult miseretur* etc., Eph. I 5 *secundum propositum* et cetera.

Versiculus 19

[87635] Super I Cor., cap. 12 v. 19 Sed causa in generali potest assignari. Si enim quaeris quare alios quidem apostolos, alios Evangelistas, vel quare aliquibus plus de gratia aliquibus minus, assignatur ratio, scilicet integritas Ecclesiae, II Tim. II 20 *in magna autem domo* et cetera.

Versiculus 20

[87636] Super I Cor., cap. 12 v. 20 Et hoc est quod dicit: *quod si essent omnia*, scilicet membra, *unum membrum, ubi corpus?*, Id est: ubi esset perfectio et integritas corporis; et ideo necessarium fuit ut essent multa membra et unum corpus.

Versiculus 21

[87637] Super I Cor., cap. 12 v. 21 Non potest autem oculus et cetera. Hic comparat membra corporis naturalis quantum ad mutuam auxilium, et ponit duplicem differentiam: una est oculorum et manuum, alia est capitis et pedis. Et licet haec sint diversa membra, tamen necessaria sunt sibi ad invicem, quia oculus indiget manu, et ideo dicit *non potest oculus dicere manui*, quia si oculus praevidet, manus operatur. Caput etiam indiget pedibus, et ideo dicit *aut iterum caput* et cetera.

Versiculus 22

[87638] Super I Cor., cap. 12 v. 22 Sed adhuc plus addit inter membra corporis naturalis, quia illa quae videntur in corpore infirmiora esse sunt magis necessaria, et ideo dicit *sed multo magis quae videntur membra infirmiora*, id est minus nobilia, *sunt necessariora*, id est magis necessaria. Et huius ratio est quia nobiliora sunt magis perfecta et perfectiora fundantur super minus perfectis et indigent eis. Licet enim nobilior sit visus quam tactus, tamen magis necessarius est tactus, quia hoc sublato desinit corpus vivere, sine visu tamen vivit. Et licet ea quae pertinent ad cognitionem sint nobiliora, tamen ea quae pertinent ad operationem sunt necessariora, quia per ea nutrimur et vivimus. Si ergo ita est in corpore naturali quod, licet membra sint diversa et minus et magis nobilia tamen indigent se ipsis ad invicem, simile est in corpore Ecclesiae: quod sic adaptatur. In Ecclesia enim sunt et activi et contemplativi; activi quidem significantur per manus, contemplativi vero per oculum. Et licet contemplativi sint nobiliores activis, tamen indigent activis, et ideo dicit *non potest oculus*, id est contemplativus, *dicere manui*, id est activo, *opera tua non indigeo*. Unde et in Luc. X 39 licet Maria sederet *secus pedes domini et audiebat verbum illius*, *Martha tamen satagebat*, quia et in Ecclesia et contemplativi qui divinis vacent, et activi qui proximis deserviant, necessarii sunt. Item in Ecclesia est alia differentia, quia quidam sunt praelati, et isti significantur per caput, quidam sunt subditi, et isti (significantur) per pedes; et licet praelati sint nobiliores, indigent subditis, et ideo dicit *aut iterum caput*, id est praelatus, non potest dicere *pedibus*, id est subditis, *non estis* etc., quia si non essent subditi non haberent quibus praessent, Prov. XIV 28: *in multitudine populi dignitas regis*. Et non solum non possunt dicere contemplativi et praelati activis et subditis: non estis nobis necessarii, sed multo magis activi et subditi quantumcumque sint ignobiles sunt necessarii. Cuius ratio est quia perfectiora fundantur super minus perfecta. Et iterum sine his Ecclesia esse non posset.

Versiculus 23

[87639] Super I Cor., cap. 12 v. 23 Et quae putamus et cetera. Hic comparat membra quantum ad exteriorem

cultum; et circa hoc duo facit: primo ponit diversitatem cultus in membris corporis naturalis; secundo causam diversitatis huius assignat, ibi sed Deus temperavit et cetera. In membris autem est duplex distinctio: una est secundum nobilitatem et ignobilitatem, alia secundum pulcritudinem et turpitudinem. Et videmus quod quanto aliqua membra sunt magis nobilia vel pulciora, tanto minus habent de exteriori ornatu, et ideo quantum ad primam differentiam dicit: ideo inferiores non debent sperni quia *quae putamus ignobiliora esse membra corporis*, sicut sunt pedes qui sunt ignobiliores faciebus, *his honorem habundantiorum*, id est plurima ornamenta, *circumdamus*. Naturaliter enim viliora membra omnes ornant et cooperiunt. Ita est etiam in Ecclesia. Necessarium est ut minoribus beneficia et exhibitio reverentiae adsint quo fiant utiles, Gal. VI 1: *vos qui spirituales estis* est. Quantum autem ad secundam differentiam dicit *et quae inhonesta sunt nostra*, id est turpiora sicut pudenda et alia turpiora membra. Et dicit inhonesta non propter culpam sed propter turpem speciem seu formam, vel inhonesta non propter actum peccati sed propter corruptionem fomitis, in quibus magis viget *habundantiorum honestatem*, id est honestiorem cultum habent.

Versiculus 24

[87640] Super I Cor., cap. 12 v. 24 *Honesta autem nostra*, scilicet pulcra membra corporaliter seu spiritualiter, *nullius cultus egent*. Ita est et in Ecclesia quod quando aliquis per aliquod peccatum inhonestus est, debent habundantius adiuvari consolationibus et orationibus ut honesti fiant, Prov. XXXI 6: *date siceram maerentibus*. Sed Deus. Hic assignat causam diversitatis cultus. Et primo causam institutivam, quae est Deus. Non enim diversitas huius est ex hoc quod homo plus vel minus de cultu adhibet uni quam alteri, sed ex hoc quod natura instigat communiter omnes ad hoc; et huiusmodi instinctus est a Deo, et ideo dicit *sed Deus temperavit*, instigando mentes hominum ad hoc, *tribuendo habundantiorum honorem*, id est cultum, illi parti corporis cui deerat aliquid pulcritudinis. Et inde est quod mulieres quae naturaliter infirmiores (sunt), naturaliter magis ornant se, I Pet. III 7: *quasi infirmiori* et cetera.

Versiculus 25

[87641] Super I Cor., cap. 12 v. 25 Secundo assignat causam finalem, quae est unitas in corpore, et ideo dicit *ut non sit schisma*, scilicet in corpore. Si enim alicui membro dedisset excellentiam in omnibus, non indigeret auxilio aliorum membrorum. Sed sic ordinavit ut ita excedat unum membrum in uno, quod tamen deficit in alio in quo aliud membrum corporis excedit, et ita dum unum indiget alio non est schisma, id est divisio in corpore. Et ita est in Ecclesia, quia unus excedit in uno et in multis deficit in quibus alii excedunt, et communicando sibi ipsis dona non est divisio inter eos; II Cor. VIII 14: *vestra habundantia* et cetera. Infra XIV 33: *non enim est dissensionis et cetera. Sed in idipsum pro se* et cetera. Hic ponitur comparatio quantum ad mutuam sollicitudinem membrorum; et circa hoc tria facit: primo ostendit mutuam sollicitudinem membrorum ad invicem in uno corpore; secundo mutuam compassionem; tertio mutuam congratulationem. Sollicita sunt membra ad invicem in necessitatibus acquirendis, et ideo dicit *sed in idipsum pro se invicem sollicita sunt membra*. Et dicit *in idipsum*, id est concorditer in uno. Videmus enim in corpore quod manus servit toto corpori, et pes similiter, et oculus dirigit totum corpus. Et ita est in Ecclesia, Eccli. XVII 12: *unicuique mandavit*; Rom. XII 11 *sollicitudine non pigri*.

Versiculus 26

[87642] Super I Cor., cap. 12 v. 26 Sed compatiuntur sibi ad invicem in adversitatibus illatis, et ideo dicit: *et si quid patitur* et cetera. Sic in Ecclesia, Iob XXX 25 *flebam quondam* et cetera. Sed et congratulantur sibi membra in bonis adeptis, et ideo dicit *sive gloriatur unum membrum* etc., Rom. XII 15 *gaudere cum gaudentibus* etc., Is. ult. 10 *laetamini et cetera. Vos autem estis* et cetera. Hic adaptat similitudinem. Et circa hoc duo facit: primo ponit adaptationem, secundo concludit quandam conclusionem: aemulamini autem et cetera. Circa primum tria facit: primo enim adaptat quantum ad unitatem Ecclesiae, secundo quantum ad ordinem, tertio quantum ad distinctionem.

Versiculus 27

[87643] Super I Cor., cap. 12 v. 27 Quantum ad unitatem dicit: *vos autem estis* etc., id est sicut omnia membra sunt unum corpus naturale, ita et vos unum corpus Christi; et dicit: *membra de membro*, quia aliquis posset dicere: non pertineo ad Christum, et sic non esset unum corpus. Sed hoc excludit quia *membrum de membro*, id est de Christo capite, quod est nobis conformis secundum naturam nostram quam accepit, Phil. II 7 *exinanivit semet ipsum* etc.; et per gratiam quam effudit habunde, Ioh. I 16: *de plenitudine* et cetera. Sic ergo, licet sit totum in quantum Deus, tamen est caput Ecclesiae in quantum homo; vel aliter: *vos corpus Christi et membra* Christi, de me *membro*, supra IV 15: *in Christo Iesu per Evangelium* et cetera.

Versiculus 28

[87644] Super I Cor., cap. 12 v. 28 Quantum ad ordinem donorum dicit: *et quosdam quidem posuit* et cetera. Et circa hoc primo ponit quaedam dona specialia, secundo quaedam secundaria. Principalia autem dona sunt tria: unum pertinet ad auctoritates praelationis, et quantum ad hoc dicit: *primum apostolos*, Luc. VI 19: *elegit*; et isti sunt fundamenta Ecclesiae, Apoc. XXI 14: *et super fundamenta* etc.; et ideo ipsi maiores in Ecclesia. Secundum pertinet ad auctoritatem doctrinae, et haec est duplex: una est per revelationem, et quantum ad hoc dicit: *secundo prophetas*, Act. (II 5) *erant in Ierusalem* etc.; alia est acquisita per auditum, et quantum ad hoc dicit: *alios doctores*, Rom. XII 7: *qui docent* et cetera. Sed contra: *lex et prophetae usque ad Iohannem*, non ergo in Ecclesia prophetae. Dicendum: illud intelligitur de prophetis qui annuntiaverunt Christum venturum; isti vero predicabant alia futura. Tertio pertinet ad operationem, et quantum ad hoc dicit *deinde virtutes*, Rom. XV 19: *in virtute signorum* et cetera. Secundaria dona ponit cum dicit: *exinde gratias curationum*: et primo dona quae subserviunt praelationi et coadiuvant apostolis; et hoc vel est quantum ad totam Ecclesiam, et sic dicit *opitulationes*, Phil. IV 3: *adiuva* etc.; vel quantum ad particulares curas, et quantum ad hoc dicit *gubernationes*, Prov. XI 14: *ubi non est gubernator*. Secundo ponit dona quae subserviunt doctrinae et coadiuvant prophetis, et quantum ad hoc dicit *genera linguarum*, infra XIV 18: *gratias ago Deo qui omnium vestrum lingua loquor*.

Versiculus 29

[87645] Super I Cor., cap. 12 v. 29 Quantum vero ad distinctionem donorum dicit: *numquid omnes apostoli?* Et hoc est planum, quasi dicat: non omnes possunt omnia habere.

Versiculus 30

[87646] Super I Cor., cap. 12 v. 30 Sed tamen qui non habet in se amet in altero et sic facit sua, Eccli. XXXIII 11: *in multitudine disciplinatorum* et cetera.

Versiculus 31

[87647] Super I Cor., cap. 12 v. 31 Aemulamini. Hic infert ammonitionem in quo primo ordinat desiderium ad meliora quam illa quae desiderabant, scilicet linguas et alia de quibus dissentio erat inter eos, et ideo dicit: *aemulamini meliora*. Secundo promittit se ostensurum eis alia quae maxime sunt eis necessaria, scilicet caritatem, unde dicit: *et adhuc excellentiorem viam* eundi ad Deum quam sint dicta dona *demonstrabo vobis*, scilicet caritatem: Is. XXX 21: *haec est via, ambulate*; Prov. IV 11: *viam sapientiae monstrabo*.

Caput 13

Versiculus 1

[87648] Super I Cor., cap. 13 v. 1 Si linguis hominum loquar et Angelorum et cetera. Enumeratis diversis donis spiritus sancti, hic consequenter apostolus ostendit quod donum cui dono sit praeferendum. Et circa hoc duo facit: primo ostendit quod donis omnibus est caritas praeferenda; secundo ostendit quod donum inter alia cui donorum praeferendum sit, et hoc in XIV capitulo, ibi: sectamini caritatem et cetera. Ostendit etiam caritatem esse omnibus aliis donis praeferendam ex tribus: primo ex eius necessitate, secundo ex eius utilitate, tertio ex

eius perpetuitate. Ex necessitate quidem, quia sine ipsa nullum bonum est meritorium; et hoc est quod dicit: *si linguis* et cetera. Ex utilitate vero, quia ipsa sola ad omnia sufficit; et hoc est quod dicit *caritas patiens est* et cetera. Ex perpetuitate autem, quia *caritas numquam excidit* et cetera. Est ergo praeferenda caritas quia magis necessaria, quia sine ea nullum bonum meritorium; et hoc probat inducendo per singula bona quae supra enumeravit. Dicta enim bona vel pertinent ad locutionem, vel ad cognitionem, vel ad operationem. Et ostendit quod nullum istorum meritorium est sine caritate. Sine ipsa enim non reputatur nec sermonis sublimitas, quia *si linguis hominum loquar*, nec intelligentiae profunditas, quia *si habuero prophetiam*, nec operum honestas, quia *si distribuero in cibos* et cetera. Primo ergo praemittit de locutione quia Corinthii plus affectabant donum linguarum quam aliquod aliud, et ideo dicit: *si linguis hominum loquar* etc., quasi dicat: vos desideratis habere dona linguarum, sed hoc nihil valet sine caritate, et ideo dicit: *si linguis hominum*. Quae autem sit lingua hominum satis patet; quid vero sit lingua Angeli? Sciendum est quod per linguas Angelorum hic potest intelligi triplex locutio: una locutio est secundum quod homo loquitur homini, et sic per Angelos intelligendi sunt homines qui sunt altioris scientiae, per homines illi qui sunt inferioris scientiae: et sic dicit: *si linguis hominum*, id est inferioris scientiae, *et Angelorum*, id est hominum superioris scientiae, *loquar* etc., Matth. II 7: *labia sacerdotum et cetera. Angelus enim* et cetera. Secunda locutio intelligi potest secundum quod unus Angelus loquitur alteri Angelo. Qualiter autem fiat haec locutio: sciendum est quod locutio fit ad manifestandum aliquod ignotum illi cui fit locutio. Est autem dupliciter ignotum in Angelo uno quod alteri est cognitum. Primum est occultum mysteriorum divinorum, quia haec cognoscunt superiores Angeli in ipso divino lumine; inferiores vero non possunt in ipso divino lumine cognoscere, sed cognoscunt ea per revelationem superiorum Angelorum. Et sic superior Angelus dicitur loqui inferiori in quantum haec mysteria sibi revelat. Et sicut apud nos manifestatio eorum quae unice habemus in corde nostro per signa particularia et distincta verba dicitur locutio, ita et revelatio huiusmodi mysteriorum quae Angeli superiores in universali et unico modo vident in divino lumine, facta inferioribus Angelis divisim et distinctim per intentiones eis proportionatas, dicitur locutio Angelorum; et deductio harum intentionum dicitur hic lingua Angeli. Secundum occultum in Angelis ad invicem est secretum cordis uniuscuiusque Angeli; solius enim Dei est occulta cordium non solum Angelorum verum etiam hominum cognoscere. Et ideo superior non potest cognoscere quod cogitat inferior Angelus, et e converso. Et secundum hoc manifestatio conceptus unius Angeli alteri facta dicitur locutio Angelorum. Quae quidem manifestatio non fit per aliquas voces seu per aliqua sensibilia, quia his carent Angeli. Sunt tamen in eis aliqua cognoscibilia sibi invicem naturaliter, et ideo quando (unus) Angelus vult manifestare conceptum sui cordis alteri Angelo quod est sibi ignotum, accipit aliquid quod est in eo illi Angelo naturaliter cognoscibile et utitur eo ut signo ad innotescendum, et hoc signum dicitur nutus. Quaerere autem qualiter excitet unus Angelus alium ad intelligendum praedictos nutus est ridiculosum, cum excitatio proprie conveniat dormientibus vel ad alia distractis; Angeli autem semper vigilant et intenti sunt ad servandum ordinem suum et explendum dispositionem divinae providentiae, et ideo non oportet quod excitentur: Psal. (CXX 4): *ecce non dormitabit neque dormiet* etc., Habac. (II 1): *super custodiam* et cetera. Tertia locutio intelligi potest secundum quod Angelus loquitur homini, et hoc facit tripliciter secundum triplex genus visionis. Quia aliquando loquitur homini visione corporali, sicut tres Angeli locuti sunt Abrahae, Gen. (XVIII 1 ss.), et Angelus ad Tobiam, et tunc lingua Angeli est illud instrumentum corporeum per quod exprimit verbum sensibile. Aliquando loquitur homini visione imaginaria, sicut locutus est prophetis, et tunc lingua Angeli dicitur illa potestas qua imprimit species in imaginatione prophetarum. Aliquando loquitur visione intellectuali, et tunc lingua Angeli dicitur lumen per quod confortat intellectum ad intelligendum ea quae sibi proponit. Sic ergo si sic loquar *caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans et cymbalum tinniens*. Aes enim et cymbalum sonando et tinniendo sibi nihil prosunt, sed aliis in quantum sunt alicui rei determinate sicut quod conveniat ad aliquid et huiusmodi; ideo ad insinuandum quod quantumcumque homo bene praedicet, bene exhortetur et non habeat caritatem, nihil sibi prodest sed aliis, dicit: *sicut aes sonans et cymbalum tinniens*, Iob XI 2 *numquid vir verbosus iustificabitur*, quasi dicat: non iustificabitur aliquis propter multa verba quae habet nisi habeat caritatem. Supra IV 20: *non est in sermone regnum Dei sed in virtute*. Differt autem aes a cymbalo, quia aes licet faciat suum sonum clarum et pulcrum, non tamen facit nisi unum sonum; cymbalum vero quia est concavum multiplicatur ex repercussione ictus in concavitate sonus, et sic reddit diversos sonos, ut sic *aes sonans* referatur ad illos qui habent verba plana et simplicia, in quibus non est aliqua profunditas; *cymbalum vero tinniens* referatur ad illos qui proferunt verba

profunda, in quibus latent multi sensus.

Versiculus 2

[87649] Super I Cor., cap. 13 v. 2 Si habuero prophetiam et cetera. Hic ostendit quod sine caritate non sunt meritoria dona quae pertinent ad cognitionem. Et enumerat quatuor dona ad cognitionem pertinentia superius posita, scilicet donum prophetiae quod est per revelationem immediate a Deo, donum sapientiae quae per rationes divinas inducit, donum scientiae quae per rationes ex creaturis procedit, et donum fidei quae est illorum qui tantum per auditum recipiunt fidem. Dicit ergo quod etiam si omnia ista habeam et caritatem non habeo, nihil sum. Et hoc est quod dicit: *et si habuero prophetiam*, quantum ad primum donum cognitionis quae est per revelationem, Eccli. XXIV 46: *adhuc doctrinam* etc., Ioel. II 28 *effundam de spiritu* etc.; *et noverim mysteria omnia*, quantum ad donum sapientiae, Dan. II 28; *est Deus in caelo* etc.; *et omnem scientiam*, quantum ad donum scientiae, Sap. X 10: *dedit illi scientiam sanctorum*; *et si habuero omnem fidem*, id est omnium credendorum, vel, *omnem fidem*, id est perfectam, Matth. XV 28: *o mulier, magna est fides tua*; et non solum fidem sed etiam ipsum effectum fidei, quod est miracula facere, et ideo dicit: *ita ut montes transferam*, Luc. (XVII 6) *si habueritis fidem sicut granum sinapis* et cetera. Si omnia ista habuero, *caritatem autem non habeam nihil sum*, id est nihil mihi prodest ad vitam, Ez. XXVII 36 *ad nihilum deducam te*, Iob XVIII 15: *habitent in tabernaculo eius* et cetera. Sed hic est duplex quaestio. Primo quaeritur quare fidei attribuitur operatio miraculorum. Et ad hoc est duplex ratio. Una ratio est quia fides proponit nobis quaedam supra rationem, unde non possunt per aliqua argumenta probari nisi per opera quae sunt supra naturam, et haec sunt miracula; unde miracula sunt argumenta fidei et pro tanto dicuntur effectus fidei. Alia ratio est quia miracula sunt ex omnipotentia Dei; fides autem omnipotentiae Dei innititur: quod enim Deus sit incarnatus credo quia est omnipotens, et similiter quia Deus est omnipotens credo quod creavit mundum et alia omnia. Secunda quaestio est utrum aliquis sine caritate possit facere miracula. Et videtur quod non, quia nullus facit miracula sua virtute nisi solus Deus; virtus autem Dei ad hoc impetratur per orationem; qui ergo non habet caritatem non videtur posse hanc virtutem impetrare. Responsio: dicendum quod oratio habet duos effectus, scilicet mereri et impetrare. Aliquando autem aliquis orando meretur et non impetrat, sicut qui oraret pro aliquo magno peccatore quod converteretur, aliquando non obtinet quia Deus non exaudit eum propter peccata illius pro quo orat, ipse tamen qui orat meretur orando. Aliquando vero obtinet sed non meretur; meritum enim importat quandam aequalitatem et iustitiam: unde, cum aliquis non mereatur nisi per caritatem, quando non habens caritatem orat pro aliquo, impetrat quod petit vel propter meritum illius pro quo petit vel propter confirmationem fidei, ipse tamen non meretur. Et hoc etiam dicit Augustinus super illud Ioh. (IX 31) peccatores Deus non audit. Unde impetrat aliis, sed non sibi, Matth. VII 22 *multi venient in illa die* et cetera.

Versiculus 3

[87650] Super I Cor., cap. 13 v. 3 Et si distribuero et cetera. Hic ostendit quod sine caritate non est perfectio quantum ad operationes. Sunt autem in operationibus duo opera perfectissima, scilicet misericordiae et martyrii; unde si haec non prosunt sine caritate, multo magis nec alia proderunt, et ideo quasi per locum a maiori probat intentum suum. Et primo quantum ad opus misericordiae, et hoc est quod dicit: *et si distribuero* etc., in quo docet modum et perfectionem eleemosynae faciendae. Quantum ad modum dicit: *si distribuero*, quia non debet eleemosyna tota dari uni, sed distribui inter multos, Ps. (CXI 9): *dispersit dedit pauperibus*; *in cibos*, quia non debet dari ad superfluitates sed ad necessitatem, II Cor. VIII 13: *non ut aliis sit remissio*, id est ut lasciviant et vacent otio, *vobis autem* etc.; *pauperum*, quia non debet dari divitibus, Luc. XIV 12: *cum facis prandium aut cenam* et cetera. Quantum ad perfectionem eleemosynae dicit: *omnes facultates*: nam, sicut dicit Augustinus, bonum est aliquid dare pro Deo, Luc. XIX 8 *dimidium bonorum meorum* etc., sed melius est et perfectius omnia propter Christum dimittere, et ideo dicit: *omnes facultates*, Matth. XIX 21: *si vis perfectus esse, vade et vende* etc.; *meas*, non alienas, Is. LVIII 7: *frange esurienti panem tuum*, non alienum. Sed si omnia faciam haec sine caritate, nihil mihi prosunt. Secundo ostendit hoc quantum ad opus martyrii, et ideo dicit: *et si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, sicut tradidit beatus Laurentius, *nihil mihi prodest*, Prov. XV 8: *victima impiorum*, qui scilicet sunt sine caritate, *abominabilis*. Nihilominus tamen si aliquis existens in peccato et esset attritus, id

est sine proposito peccandi, et accederet ad martyrium, consequeretur effectum martyrii, si causa est quae facit martyrem, sicut etiam est in Baptismo. Notandum autem quod diligenter consideranti apparet quod apostolus subtiliter locutus est et proprie. Donum linguarum sine caritate assimilatur sono aeris et tinnitui cymbali; dono cognitionis sine caritate adiunxit: *nihil sum*; dono operationis adiunxit: *nihil mihi prodest*. Cuius ratio est quia locutio est quidam actus rei viventis denuntians conceptum cordis; quando autem non fertur nec denuntiatur aliquid a re viva, tunc non potest proprie dici locutio. Vita autem animae est per caritatem, et ideo locutio quae non est ex caritate assimilatur voci mortuae et est quasi sonus, et ideo dicit: *factus sum sicut aes sonans* et cetera. Item per cognitionem anima perficitur, quia intellectus est perfectio intelligentis. Sed sciendum est quod quaedam intelligibilia sunt supra animam, quaedam vero sub anima. In his autem quae sunt supra animam non est ultima perfectio in cognoscendo sed in habendo rei cognitae per amorem; in his autem quae sunt infra animam cognitio est melior amore. Cuius ratio est quia cognitio perficitur per hoc quod res cognitae sunt in cognoscente, amor autem perficitur per hoc quod amans trahitur in rem amatam. Res autem quae sunt infra animam habent nobiliter esse in anima cognoscente quam in se ipsis, et ideo cognitio rerum corporalium est nobilior quam amor eorum. Deus autem est excellentius in se ipso quam sit in cognitione animae vel cuiuscumque rationalis creaturae, et ideo dilectio Dei praevalet eius cognitioni; unde ultima perfectio rationalis creaturae non est in cognoscendo Deum sed in amando; et ideo dicit quod quantumcumque cognoscat si non amet, nihil est, quia nondum consequitur perfectum esse. Item operationes habent bonitatem secundum quod sunt utiles ad finem. Si igitur deficient a fine, nihil prosunt. Ad finem autem ultimum ordinantur per caritatem, quae est amor boni, quod est ultimus finis; et ideo dicit quod quaecumque sunt actiones, sine caritate nihil prosunt.

Versiculus 4

[87651] Super I Cor., cap. 13 v. 4 Caritas autem patiens est et cetera. Hic apostolus ostendit caritatis excellentiam ex eius utilitate, quia ipsa perficit et operatur actus omnium virtutum. Ex hoc autem surgunt quaedam dubia. Primum est quod si caritas operatur actus omnium virtutum, videtur quod sit generalis et non specialis virtus. Ad hoc dicendum quod caritas est specialis virtus, et tamen est mater et forma omnium virtutum, et secundum hoc imperat, non secundum quod est virtus specialis. Ad cuius evidentiam sciendum est quod in omnibus artibus, actibus et habitibus quae sunt propter finem, illa ars, actus seu habitus quae considerat finem imperat omnibus aliis et movet ea quae sunt ad finem illum, sicut apparet in navifactiva: finis enim navis est navigare, unde gubernator imperat et movet omnia quae sunt ad finem illum, ipse imperat nautis et movet, ipse ordinat et imperat de forma navis; ille autem qui considerat formam imperat illi qui parat materiam. Videmus etiam hoc in moralibus, sicut in vitiis: aliquis enim quaerit pervenire ad finem aliquem, puta ad excellentiam, et per divitias, et ideo quantum ad hoc excellentia est finis, divitiae sunt ad finem; cum ergo excellentia pertineat ad superbiam, divitiae vero ad avaritiam, constat quod superbia gerat avaritiam: hoc modo est eius mater. Caritas ergo, quia habet pro obiecto immediate ipsum Deum qui est finis ultimus omnium, ad ipsum omnia refert. Deus enim est finis omnium, et ideo oportet quod omnia in ipsum referamus sicut in ultimum finem nostrae beatitudinis, alias non esset virtutis quod facimus sed vanum. Si enim aliquis exercet actus fortitudinis contra pericula et hoc non refert in Deum, non est virtuosus sed vanus. Cum ergo caritas omnia opera nostra referat in Deum, manifestum est quod ab ea habent quod sint virtuosa, et ideo dicitur mater virtutum. Quia vero actus morales consequuntur formam suam et perfectionem a fine - ut puta si aliquis fornicatur ut expoliet fornicariam, magis dicitur avarus quam fornicator -, finis autem omnium est Deus ad quem caritas et dirigit et unit nos sibi, ideo dicitur forma omnium virtutum. Quicumque enim servaret castitatem, non diceretur castus nisi in quantum hoc faceret propter amorem Dei. Et sic patet quod in quantum imperat et movet actus omnium virtutum, dicitur mater earum, in quantum vero omnes actus ex hoc habent quod sint virtuosus quod a caritate informantur, dicitur forma earum. Et ex hoc attribuit ei apostolus actus omnium virtutum, non in quantum est virtus specialis. Secundum dubium est quod si caritas sufficit ad perficiendum actus omnium virtutum, videtur quod animae virtutes non sunt necessariae. Ad hoc dicendum quod ad hoc quod aliquis actus prompte fiat, oportet omnia illa quae ad actum illum concurrunt esse ordinata et bene disposita, alias non posset sine labore et resistentia fieri. Ad actum enim qui est currere concurrunt et equus et sessor; quantumcumque sessor esset instructus, non bene posset currere nisi equus esset domitus et bene curreret, nisi cum magno labore. Ad actus autem virtutum ut

potentia movens est ratio, mota vero et exequens sunt vires inferiores. Si ergo ratio sit ordinata et bene disposita, numquam poterit aliquem actum elicere a potentiis inferioribus, scilicet irascibili et concupiscibili, si non sint bene domitae et rationi subiectae, nisi cum difficultate et resistentia: et talis actus non est virtuosus, quia non est cum delectatione et facilitate. Quando vero (potentia) rationalis perfecta est et aliae potentiae subiectae sunt ei et sine difficultate et cum delectatione obsequuntur ei ad actus quod imperat, tunc illi actus sunt virtuosus. Et secundum hoc Aristoteles assignat differentiam inter continentem et castum, quia continens est ille qui vitat actus (et) habet rationem bene dispositam circa actus continentiae, sed tamen patitur multas molestias in parte inferiori, scilicet in concupiscibili; castus vero est ille qui et superiorem rationem et inferiorem habet bene dispositam circa actus praedictos. Et ideo licet caritas, quae est in voluntate imperante potentiis inferioribus, moveat in Deum actus omnium virtutum, tamen necessariae sunt aliae virtutes speciales quae perficiant potentias inferiores ad exequendum actus illos sine difficultate. Manifestatis ergo dubiis, sciendum est quod apostolus de actibus virtutum quos perficit caritas tractat per comparisonem ad tria: primo per comparisonem ad proximum, secundo per comparisonem ad se ipsum, tertio per comparisonem ad Deum. Quantum ad proximum dupliciter. Primo in operando bonum, et hoc in sustinendo patienter illata ab aliis, et quantum ad hoc dicit: *caritas patiens est*, id est facit nos patienter sustinere iniurias, Luc. XXI 19: *in patientia vestra possidebitis* etc., Iac. V 7: *patientes estote*; in largiendo beneficia, quia *benigna est*, supple caritas, id est facit nos benignos proximis per beneficia - unde benignitas, quasi bona igneitas -, Eph. IV 32: *estote benigni*, Luc. VI 38: *date et dabitur vobis* et cetera. Secundo in retrahendo a nocentibus, et hoc quantum ad affectum, quia *caritas non aemulatur*, id est facit nos invidere, Rom. XIII 13: *non in contentione et aemulatione*, Iob V 2: *parvulum occidit invidia*; quantum ad opus, quia *non agit perperam*, id est non agit perverse contra proximum, Eccli. VII 1: *noli facere mala et non te* et cetera. Quantum vero ad se ipsum ponit quatuor contra quae perficit caritas. Primo enim perficit contra superbiam, et hoc dupliciter. Quantum ad ipsam superbiam, quia *caritas non inflatur*, id est expellit superbiam. Qui enim diligit Deum, omnia recognoscit ab eo et refert in illum, et ideo quicquid habet virtuosum est. Sed inflata dicuntur illa proprie quae sunt plena vento; et ideo superbi qui ea quae habent non recognoscunt a Deo, vel etiam non eo modo quo debent, vel imputant propriis meritis, dicuntur proprie inflari, quia nihil habent quod non sit a Deo; unde si de aliquo gloriantur, quasi a se ipsis habeant, nihil est illud, supra VIII 1: *scientia inflat, caritas aedificat*. Item quantum ad filiam superbiae, quae est ambitio. Ex quo enim homo praesumit de se, magna ambit et desiderat magna utpote eis dignus, et ideo dicit: *non est ambitiosa*, Eccli. VII 4: *noli quaerere ab homine* etc., Gal. V 26: *non efficiamini inanis gloriae* et cetera.

Versiculus 5

[87652] Super I Cor., cap. 13 v. 5 Secundo perficit hominem contra avaritiam, quia *non quaerit quae sua sunt*, scilicet tantum, sed quae aliorum, supra X 33: *non quaerens quod mihi* etc., Phil. II 21: *omnes quae sua sunt quaerunt*. Vel aliter: *non quaerit quae sua sunt*, id est non quaerit quae sibi auferuntur in iudicio. Videtur ergo contra caritatem si aliquis in iudicio contendat cum aliquo de rebus sibi ablatis. Ad hoc quidam dicunt quod numquam aliquis cum caritate contendit in foro litigioso. Sed hoc est falsum, quia plus est contendere in campo pugnando cum homine quam in foro litigando, quia ibi occidunt se, hic auferunt tantum res. Et ideo ad verba Glosae et ad alias auctoritates quae circa hoc sunt - sicut dicitur Luc. VI 30: *quae tua sunt ne repetas*, et iterum (Matth. V 41): *si quis angariaverit te mille passus* etc. -, dicendum est cum Augustino quod haec sunt accipienda quantum ad praeparationem animae, id est quod debes esse ex caritate ita paratus quod tua non repeteres quando esset scandalum vel proximus indigeret. Et intelligendum quod ea quae repetis ordines ad bonum finem et etiam ad salutem proximi, quia ex hoc aliquando inducitur proximus ad restitutionem. Et ideo intelligendum est quod *non quaerit quae sua sunt*, id est si opus esset quaereret. Tertio perficit contra iram, quia *caritas non irritatur*, Eccli. VII 10: *ira in sinu stulti* et cetera.

Versiculus 6

[87653] Super I Cor., cap. 13 v. 6 Quarto, generaliter contra omnem malitiam, et hoc quantum ad cognitionem: *non cogitat mala*, Is. I 16: *auferte malum cogitationum* etc.; quantum ad affectionem, quia *non gaudet super iniquitate*, contra illos de quibus dicitur Prov. II 14: *qui delectantur cum malefecerint* etc., sed hoc non est

faciendum, Prov. XVII 5: *qui in ruina laetatur* etc.; sed debemus gaudere de bono, et hoc facit caritas, quia *congaudet autem veritati*, II Ioh. 4: gaudeo valde quia inveni.

Versiculus 7

[87654] Super I Cor., cap. 13 v. 7 Quantum autem ad Deum ordinat et perficit, primo quantum ad tolerantiam malorum temporalium, et ideo dicit: *omnia suffert*, id est facit hominem paratum ad sustinendum patienter omnes adversitates, Iac. V 11: *patientiam Iob audistis*, quae est Iob II 10: *si bona suscepimus de manu* et cetera. Secundo quantum ad bona, et hoc quantum ad intellectum in oboedientia fidei, quia *omnia credit*, non dicit cito, sed *omnia*, id est in omnibus credit Deo, quia Deo nihil impossibile credit, Eccli. II 8: *qui timetis Deum, credite illi*; in gaudio spei, et hoc quantum ad affectum, quia *omnia sperat* quae veritas promittit, Ps. (LXI 9): *sperate in eo omnis* etc., Eccli. II 9: *qui timetis Deum, sperate* etc., in longanimitate expectationis, quia *omnia sustinet*: quantumcumque enim quae sperat quis differantur, non frangitur, Eccli. II 3: *iungere Deo et omnia sustine* etc., Rom. VIII 25: *quod speramus per patientiam expectamus*, Ps. (XXX 25): *viriliter agite* et cetera. Etsi caritas sit specialis virtus, tamen non connumerat eam istis, quia ex quo omnia ista perficit caritas, manifestum est quod etiam proprium actum eliciat.

Versiculus 8

[87655] Super I Cor., cap. 13 v. 8 Caritas numquam excidit et cetera. Hic probat apostolus caritatis excellentiam ad alia dona per rationem sumptam ex eius perpetuitate. Et ratio talis est: caritas numquam excidit, alia dona excidunt, ergo caritas est excellentior aliis donis. Et ideo circa hoc tria facit: primo enim ponit maiorem, scilicet quod *caritas numquam excidit*; secundo mediam, ibi: sive prophetiae etc.; tertio conclusionem, ibi: nunc cognosco et cetera. Quantum ad primum dicit: *caritas numquam excidit*, id est nec in hoc saeculo nec in futuro finietur. Sed circa hoc est error quorundam haeticorum, quia ex hoc dicebant quod si caritas numquam excidit, quicumque habet caritatem numquam peccat, et si peccat dicunt eum numquam habuisse caritatem. Sed hoc est falsum, quia omnis perfectio perficit perfectibile suum secundum modum suae naturae. Modus autem naturalis animae est quod utatur suis perfectionibus libera voluntate unde et est domina sui actus, et ideo sive a caritate sive a quacumque perfectione ita perficitur quod potest uti libere et non uti perfectione illa, sicut vult. Et ideo habens caritatem potest peccare si vult. Unde non est intentio apostoli quia habens caritatem non peccet, sed dicit quod caritas non excidit, id est non tollitur per gloriam supervenientem sed magis perficitur. Cuius ratio est quia amor cum non sit nisi rei cognitae, ad cognitionem et praesentiam rei cognitae inflammatur et excitatur affectus ad amorem, et inde est quod quanto vera bona magis cognoscuntur tanto magis amantur, sed falsis bonis e converso. Cum ergo Deus videatur facie ad faciem in patria, constat quod caritas ibi non destruitur, sed maxime perficitur; et hoc (est) quod dicit Isaias XXXI 9 quod *cuius ignis in Sion et caminus in Ierusalem*, quia hic est parvus amor Dei, sed ibi maximus, Ier. (XXI consequenter cum dicit: *sive prophetiae* etc., probat mediam, scilicet quod alia dona excidunt, et circa hoc tria facit: primo ponit propositum, secundo probat ipsum, ibi: ex parte enim cognoscimus etc., tertio confirmat probationem, ibi: cum essem parvulus et cetera. Ponit ergo propositum, scilicet quod alia dona evacuantur, et hoc ostendit quantum ad tria dona quae isti magis reputabant, et primo quantum ad donum prophetiae, et ideo dicit: *sive prophetiae evacuabuntur* etc., et quantum ad rem prophetatam: prophetiae enim sunt de futuris, I Petri I 10: *de qua locuti sunt prophetae* etc., tunc autem omnia erunt praesentia; et quantum ad modum prophetandi, qui est in figuris et visionibus aenigmaticis, Num. XII 6: *si quis fuerit inter vos propheta* etc., tunc autem erit perfecta cognitio et plena visio. Secundo quantum ad donum linguarum, et ideo dicit *sive linguae cessabunt*, quod quidem non potest intelligi de lingua corporali, quia si cessaret corpus esset imperfectum; nec de usu linguae, quia ibi erit laus vocalis; nec de linguis Angelorum, quia, secundum quod dictum est, ibi sunt. Sed apostolus intendit hic de locutione linguae secundum quod est donum spiritus sancti. Dona autem spiritus sancti sunt ad utilitatem, sicut dictum est supra, quae est finis ipsorum donorum. Finis autem linguarum fuit ut fides omnibus gentibus nuntiaretur, Act. II 4: *repleti sunt omnes* et cetera. Cessabunt ergo linguae quantum ad finem qui modo est, quia tunc non per alium quis veniet in cognitionem Dei sed per se ipsum, Ier. XXXI 34: *non docebit vir fratrem et cetera. Omnes enim cognoscent* et cetera. Erunt ergo ibi linguae, sed non ad instructionem de Deo. Tertio probat hoc quantum ad donum scientiae,

et ideo dicit: *sive scientia destruetur*. Sed circa hoc est opinio multiplex. Quidam enim dicunt quod scientia hic acquisita non remanebit post mortem, et haec opinio videtur ortum habere a positione Avicennae, qui dicit quod species intelligibiles non remanent in intellectu possibili postquam desinit actu intelligere. Quod enim in parte sensitiva species conservantur quibus non actu aliquis utitur, est ex natura organi corporei quo utitur pars sensitiva. Unde in parte sensitiva est imaginativa quae est thesaurus formarum per sensum acceptarum, et memorativa quae est thesaurus intentionum particularium non per sensum acceptarum, sicut et ovis extimat lupum inimicum. Quia igitur intellectus possibilis non utitur organo corporeo, dicit esse impossibile quod conserventur in eo species sicut in thesauro rerum quae actu non intelliguntur. Et sic oportet quod semper quando intellectus possibilis vult actu intelligere, quod respiciendo ad phantasmata convertat se ad intellectum agentem. Sic igitur scientia, quae est secundum species intelligibiles acquisitas modo praedicto, non remanet in anima cum fuerit a corpore separata. Sed haec positio est contra philosophum, qui dicit in III de anima quod cum intellectus possibilis - qui *ante intelligere nihil est actu eorum quae sunt* -, *fiat unaquaqueque sciens, tunc dicitur secundum actum; est tamen et tunc in potentia dum non considerat, sed aliter quam ante addiscere*. Ex quo patet quod postquam acceperat intelligibiles non est semper actu considerans, sed quandoque in potentia. Est etiam haec opinio contra veritatem, quia cum intellectus habeat esse firmum et stabile, quod ideo recipitur oportet stabiliter recipi. Unumquodque enim quod est in altero est in eo per modum recipientis. Hoc autem est ex voluntate quod speciebus in intellectu existentibus quandoque actu utitur et quandoque non utitur. Unde habitus diffinitur: habitus est quo quis utitur cum voluerit. Alii autem dicunt quod scientia destruetur quantum ad actum, sed non quantum ad habitum. Sed haec positio ridiculosa est, quia cum habitus sit habilitas quaedam ad actum, si destrueretur scientia quantum ad actum, tunc habitus scientiae esset ibi frustra. Et ideo dicendum est quod scientia non destruetur neque quantum ad habitum neque quantum ad actum, sed quantum ad modum intelligendi, quia hic nullo modo potest homo considerare illa quorum habitum scientiae habet nisi convertat se ad phantasmata, quod contingit ex unione intellectus ad corpus, cum non perfecte dominatur in illa; unde iste modus non erit in patria, sed considerabit per species influxas et infusas absque aliquibus phantasmatibus corporalibus. Quod ergo dicit hic apostolus quod *scientia destruetur*, sciendum est quod de omnibus istis donis, scilicet de prophetia et dono linguarum vel de scientia secundum quod est donum, loquitur secundum quod ordinantur in cognitionem Dei. Scientia autem secundum quod est donum gratis datum, est, sicut dictum est, quo quis per rationes ex rebus sumptas pervenit seu ducit alios in cognitionem Dei, et haec scientia destruetur in patria, quia tunc non cognoscemus Deum per creaturas sed per se ipsum.

Versiculus 9

[87656] Super I Cor., cap. 13 v. 9 Consequenter cum dicit: ex parte cognoscimus etc., probat quod proposuit tali ratione: adveniente perfecto cessat imperfectum, sed haec omnia, scilicet dona alia, sunt imperfecta, ergo adveniente perfecto cessabunt. Et huius rationis primo ponit mediam, scilicet quod alia dona a caritate sint imperfecta, ostendens eorum imperfectionem. Primo quantum ad donum scientiae cum dicit *ex parte enim cognoscimus*, scilicet imperfecte Deum, secundo quantum ad donum prophetiae cum dicit: *et ex parte*, id est imperfecte, *prophetamus*, Ps. (CXXXVIII 16): *imperfectum meum viderunt oculi* et cetera.

Versiculus 10

[87657] Super I Cor., cap. 13 v. 10 Sed contra: haec ratio non videtur esse ad propositum, quia si propter hoc scientia seu prophetia evacuabuntur quia *ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus*, eadem ratione et caritas destruetur, quia ex parte diligimus et non perfecte. Responsio: dicendum quod aliquid dicitur imperfectum dupliciter: uno modo quando imperfectio est de propria ratione rei imperfectae, alio modo quando imperfectio non est de ratione rei sed accidit ei. Verbi gratia cognitio fidei est imperfecta primo modo, quia imperfectio est de eius ratione, unde et ponitur in eius diffinitione quod est *argumentum non apparentium*. Similiter et spes quia est de non habitis, et prophetia quia aenigmatica, et scientia quia est cognitio Dei ex creaturis sumpta. Caritas autem non habet de sui ratione imperfectionem, sed accidit ei secundum quod imperfecte participatur ab aliquibus. Ratio enim quare imperfectio non sit de ratione caritatis, sicut est de ratione aliorum donorum, est quia caritas cum sit in affectu et res amata non sit in affectu, sed affectus tendat in ipsam, de ratione habitus caritatis

quae perficit affectum est ut perfectissime et immediate in ipsum tendat. Et si contingit aliquis defectus seu retardatio, hoc non est ex ratione eius, sed per accidens contingit in quantum remisse et minus intense ipsa caritas participatur. Alia vero dona, quae pertinent ad cognitionem, sunt in intellectu ut cognitum in cognoscente. Et quia cognitio Dei diversis modis potest esse in intellectu, quia aliquando ut credita tantum, aliquando ut sperata, aliquando etiam per rationes debiles, ideo secundum diversos et imperfectos modos cognitionis sortiuntur nomina, et sic patet quod imperfectio est de ratione eorum et non caritatis.

Versiculus 11

[87658] Super I Cor., cap. 13 v. 11 Cum essem parvulus et cetera. Hic apostolus confirmat suam probationem. Posuerat autem (duo) in praedicta probatione: primum est quod adveniente perfecto evacuatur imperfectum, secundum est quod hic cognoscimus ex parte. Et haec duo confirmat hic: primo confirmat primum, secundo secundum ibi: videmus nunc per speculum et cetera. Probat autem primum per similitudinem in rebus humanis comparando statum futurae gloriae ad statum praesentem, sicut statum aetatis perfectae ad statum pueritiae, et hoc quantum ad tria dona de quibus ipse mentionem fecit, quorum duo pertinent ad cognitionem, scilicet donum linguarum et donum scientiae, et in istis deficiunt pueri. Unde quantum ad primum dicit: *cum essem parvulus loquebar ut parvulus*, id est more parvuli, scilicet balbutiendo, ut parvulus loquitur qui vana loquitur, Ps. (XI 3): *vana locuti sunt unusquisque ad proximum* et cetera. Quantum ad secundum dicit: *sapiebam ut parvulus*. Cognitio autem consistit in duobus, scilicet in iudicando et in deliberando, id est in eligendo et in inveniando. Multi enim bene adveniunt sed non bene iudicant, et e converso; sed quandoque aliquis utrumque, scilicet bene iudicat et advenit. Sed in istis duobus hic assimilatur imperfectioni puerorum, et primo quantum ad electionem seu iudicium, et hoc est quod dicit: *sapiebam ut parvulus*: illi dicuntur sapere ut parvuli qui male iudicant, Phil. III 19: *gloria in confusione eorum* etc.; secundo quantum ad inventionem, cum dicit: *cogitabam ut parvulus*, id est ratiocinabar, ut parvuli cogitant qui male cogitant, Ps. (XCIII 11) *dominus scit cogitationes hominum* et cetera. Et hoc quod dicit *sapiebam* refertur ad donum sapientiae, quod pertinet ad affectum; *cogitabam*, ad donum scientiae. Quando autem factus vir etc., quasi dicat: sicut factus vir, evacuabuntur ea quae sunt parvuli, ita quando veniemus ad futuram vitam quae est perfecta, evacuabuntur ea quae sunt hic imperfecta, Prov. I 22: *usquequo diligitis infantiam*, Is. penult. (LXV 20): *maledictus puer centum annorum* et cetera.

© 2006 Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem

Iura omnia asservantur

OCLC nr. [49644264](#)